




ALEXANDRI XAVERII

PANELII,


È SOCIETATE JESU PRESBYTERI,

DE

CISTOPHORIS.



LUGDUNI,




Sumptibus { FRATRUM DEVILLE,
& LUDOV. CHALMETTE.

MDCCXXXIV.

CUM PERMISSU REGIS.





ILLUSTRISSIMO ET PRAENOBILI VIRO

D. JOANNI NATALI ALLETIO

SERENISSIMAE RAGUSANAE REIPUBLICAE

CANCELLARIO

ALEXANDER XAVERIUS PANELIUS

è Societate JESU

S. P.

NAE incautus ego, qui nummum a peritiſsimis intactum hactenus, aut levi ſaltem delibatum manu enodare aggrediar! Diſcutiendis illius tenebris unus par eras, Vir Illuſtriſsime, cui Sereniſsimam Raguſanorum Rempublicam ſolito re-

gere consiliis, *prudentiâ firmare*, *nihil tam obſcurum occurrit ac difficile*, *quod ingenii tui acumine*, *ſolertiâ*, *et ſagacitate non extricetur. Juſsisti tamen*, *ac* meam de tuo numiſmate ſententiam, monetarii historiam, et loci atque temporis non ſolùm, verùm et hieroglyphicos ſenſus aperiendos *impoſuisti mihi : operoſum ſanè opus*, *ac ſalebroſam provinciam. Juſsus en obſequor : obſequii aleam obſequendi ſtudium excuſabit. Vale. Maſsiliae*, *in Collegio Belzuncaeo Societatis* JESU, *Idibus Januariis* MDCCXXXIII.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM.

I.

Qualis nummus sit Cistophorus, et unde nomen.

II.

Quid figurae Cistophoro commissae significent.

III.

De figuris Cistophorûm aream occupantibus.
1°. *De corona hederacea.* 2°. *De cista.* 3°. *De serpentibus.*
4°. *De vanno.* 5°. *De arcu et hastis.* 6°. *De thyrso.*
7°. *De taeda.* 8°. *De caduceo.* 9°. *De ferula, &c.*

IV.

Orgiorum origo & propagatio.

V.

De variis varias apud nationes Orgiorum feriis.

VI.

De Sabaziis speciatim.

VII.

Cistophoros Sabaziorum occasione signatos fuisse.

ARGUMENTUM.

VIII.

Sub quibus magistratibus ſignati fuerint Cistophori.

IX.

Quibus in locis, et temporibus ſignati Cistophori.

X.

De Ephesinorum Cistophoris.

XI.

De Cretensium Cistophoris.

XII.

De M. Antonii III-Viri Cistophoris.

XIII.

De nummis cistam praeferentibus.

XIV.

De nummis ſerpentiferis.

XV.

Serpentibus Bacchum deſignari.


XVI.

De Cistophorûm uſu, et pretio.

DE
CISTOPHORIS.

I.


ROPOSITUM numisma argenteum est, et tetradrachmum. In corona ex hedera et corymbis contexta semiapertam hinc exhibet cistam, e qua prosilit serpens plura in volumina contractus: inde, geminos angues mutuis implicitos spiris obsidentibus vannum acrostolio superbientem, cum telo prominente. Dextro nummi latere, monogrammatis instar, implicitae videntur litterae quaedam ΠΕ : laevo, anguis alter thyrso obrepens: superiori verò parte, litterae omnino duae ΜΕ, et inferiùs aliud monogramma ΠΥ. Numismatis ectypus oculis contemplandus subjicitur. *Qualis nummus sit Cistophorus, et unde nomen.*



Nummus hic eorum est de genere, qui Cistophori appellati sunt. Id nominis eos ideo sortitos fuisse volunt Hadr.

Turnebus (*a*), Hadr. Junius (*b*), Hostus (*c*), *quòd iis cistiferi essent sculpti, qui sacrorum mysticorum cistis inclusorum arcana ferebant, ut in Cybelae mysteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis.* Cum bona tantorum virorum venia dixerim ab ipsa, eaque una hisce numismatis impressa cista nuncupatos fuisse Cistophoros, quemadmodum apud nostrates non ita pridem *Coronati vocabantur nummi, a coronae imagine*, quod veluti palmare exemplum suggerit Coel. Rhodiginus (*d*). Nec enim Cistophoros ad Turnebi, caeterorumque mentem expressos cujusquam in manus unquam venisse animadvertit jam Henricus Eggelingius (*e*), quamvis eorum, qui cistam praeferant, plurimi sint, ac frequentes.

Longè alia in sententia est Joan. Gasp. Eisenschmidius (*f*), cui videtur si a Κίϛη, Cistophori nomen derivandum esset, potiùs Κιϛηφόρος dicendus fuisset, quemadmodum a νίκη, dicitur νικηφόρος. Quem in Rhodiorum nummis caput Solis praeferentibus conspiciendum habemus florem, interpretantur alii Rosam (*g*), Balaustium alii (*h*), seu florem mali Punici; hunc eundem arbitratur esse laudatus autor, ac ille, qui Dioscoridi Κίϛος vocatur. Ratione itaque tum denominationis nummi, tum ipsius floris, in eam adducitur opinionem, ut credat omnes et singulos, eosque unos Rhodiorum nummos cujuscumque metalli atque magnitudinis, Cistophori nomen sibi vindicare. Potuit haec opinio ducere ortum ex Festi testimonio dicentis: *Talentorum non unum genus: Atticum est sex millium denariûm: Rhodium et Cistophorum, quatuor millium quingentorum denariûm.* Quamvis arduum omnino sit, ac plerumque impossibile rationem subijcere derivationis plurium nominum, quae solo linguarum omnium supremo judice invaluerunt usu, attamen hoc unum Eisenschmidio responsum volumus, Graecos scilicet, ut personas cistam in Orgiis praeferentes, a nummis eâdem cistâ insignitis distinguerent, istos denominasse

(*a*) Adversarior. Lib. III. cap. V. (*b*) Nomenclat. pag. 233. (*c*) Lib. III. cap. II. (*d*) Lection. antiq. Lib. x. cap. II. (*e*) De mysteriis Cereris et Bacchi. (*f*) De Ponderibus et Mensuris Veterum, §. IV. cap. IV. (*g*) Harduinus in numm. Popul. et Urb. (*h*) Spanhem. If. Vossius.

denominasse Κιστοφόρες ; illos verò Κιστηφόρες, vel potiùs Κισιφόρες. Etenim Demosthenes pro Ctesiph. loquens de Aeschine : Ἔξαρχος, καὶ προηγεμών, καὶ Κισιφόρος, καὶ λικνοφόρος (a). Quam loquendi rationem comprobarunt Romani ipsi : nomen enim utrumque cum propria eorum significatione latinitate donarunt. De istis saepiùs Cicero, Livius, et alii : de illis verò haec habentur in Martiali, Epig. Lib. V. 17.

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna ;
Dum tibi noster eques sordida conditio est ;
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
Nubere : nupsisti, Gellia, cistifero.

Cave ne cum interprete Pliniano, Lib. XXXIII. nº. VI. hujus epigrammatis jocum reponas in ambiguitate vocis *Cistifer*, quam contendit ille, et cistarum vitilium, qualorumque venditores, rusticanos plerumque homines significare, et Senatores, Equitesve, qui cistas suffragiorum in comitiis custodirent. Neque enim Senatores, Equitesve cistis suffragiorum custodiendis praepositi appellati sunt unquam Cistiferi, sed cistarum custodes, ut apud Tullium, Orat. in Pison. et post reditum in Senatum, et Plinium Lib. eod. XXXIII. Quos Cestiferos, (rectiùs legeris Cistiferos) vocat in notis Tiro, pag. 61. interpretabere de plebeculis illis, qui destinatas comitiis cistas, domi servabant, et comitiorum tempore eas in comitia deportabant. Sic nostrates passim apud Gallos, sunt hodieque, qui in singulis oppidi regionibus tellenones, atque coriaceas corbes restinguendis fortuitis domorum incensionibus praeparatas custodiunt, easque, quando, et quò res poscit, deferunt. Sed haec, per me licet, parvi momenti sunto. Ad Martialem ipsum provoco. Hic Gelliam irridet, quòd affectatis priùs illustrissimis nuptiis, cum Senatore videlicet, cujus insigne fuit latus clavus, vilissimas tamen contraxisset cum infimo omnium apud Romanos homine, id est, Cistifero. Alludere sanè non potuit Martialis Senatori cistarum custodi,

(a) Ita legendum ne dubites, ex fide MSS. Vindobonensi Caesareo. Mendosè [illegible], et [illegible], in vulgatis plerisque editionibus, ut et [illegible] apud Harpocrationem.

quocum nuptias si inivisset Gellia, Martiali profectò non venisset in dicacitatem.

Cistophorus praeterea nullus est, quem apud Rhodios conflatum fuisse suspicari quisquam possit, nedum evincere, licet plerique omnes urbis alicujus nomine gaudeant. Ostendetur etiam eos omnes argenteos esse, non cujuscumque moduli, aut ponderis, sed ad tetradrachmi pondo et formam pertingere: adeo non firmis momentis nititur sententia Eisenschmidii. Quod ad Festi autoritatem attinet, dicendum sanè perturbatum eo loci Festum, quem alibi, ubi de Euboïco talento, sibi non constare, arguit olim Budaeus (a). Vel erit fortè accipienda disjunctivo, non autem copulativo sensu particula (&): *Rhodium et Cistophorum quatuor millium* &c. ita ut Rhodium talentum a talento Cistophoro distinguatur. Sed quae tum ambages, quàm insolens et numquam expedienda computandi ratio! imò penè dixerim, ecquis de talento Cistophoro unquam audivit? De his rursus aliàs.

I I.

Quid figurae Cistophoro expressae significent.

Cistophoros e monetalium incudibus excidisse casu, aut incisas in eos figuras opificum arbitrio permissas fuisse nemo dixerit. Ex eorum frequentia, pondere uno ferè et eodem, similitudine, nominum atque litterarum tenore determinatum aliquod in illis fabricandis consilium liquidò arguere est. Consilium illud scrutanti, et commissas hujusce generis nummo figuras intuenti curiosiùs, veniunt in mentem Orgia Bacchi, ipsaque adeo ad aeternitatis memoriam Cistophoro consignata fuisse tandem non ambigitur. Invitis equidem commodior alia nobis non occurrit numismatis enodatio, per quam liceret e debita tenebrarum caligine propudiosa in lucem non revocare mysteria. Quamobrem sobriè de illis disputare aggredimur memores dicti Apostolici: *Munda mundis.*

(a) De Asse, Lib. II.

Orgiorum apparatus priscis olim temporibus ſimplex erat, et ab omni ſumptu liber. Peragebatur plebeïo more, et vultu hilari. Amphora vini praeibat cum palmitis ſarmento: tum trahebatur caper Baccho invisum animal: ſequebatur cista; ultimo loco phallus (*a*). Diu non ſtetit haec religiosa ſimplicitas. Opum affluentia ſacris quoque ſuos mores, et luxum invexit. Spectante populo hederâ coronato totam per urbem, crine fluxo, nudo penè corpore Evion ingeminantes, et furentium instar vagabantur permistae viris mulieres. Temulenta, pudorisque oblita cohors, alii Silenorum, Satyrorum alii, atque Panum habitu procedebant. Tum alii hinc inde asinis insidentes, quos Fauni, Bacchae, Lenae, Thyiae, Mimalones, Naïades, Nymphae, Tityri comitabantur. De illis plura Ovidius (*b*). Choream et thyasos ſtrepentibus undique ululatibus excipiebant Victoriae ſigna, arae coronis hederaceis formam vitis referentibus ornatae, thura, aromata; currus deinde varii thyrsis, armis, coronis, doliis, crateribus, tripodibus, vannis onusti. Ponè, Virgines Canephorae, quae cistas et arcana initiationum ferebant, ſequentibus Phallophoris. Agmen claudebant Baſsarae mulieres ſerpentibus, ſmilace, hederâ coronatae. Denique Ithyphallorum chorus φαλλικὰ ᾄσματα decantantium, ſeu carmina in Bacchi honorem. Procedebant illi habitu muliebri, et ebriorum perſonam mentientes. Qui plura volet, adeat Bacchicum Philadelphi choragium, apud Athenaeum, Lib. v.

His accedere quoque poſsunt ritus peculiares ad normam, usumque privatum quorumdam oppidorum accommodati. Sciеriis, v. g. mutuò flagellis excipiebant ſese mulieres nudae. Lampteriis, faces de nocte in templum deferebantur diſpositis paſsim per urbem vini crateribus. Omophagiis, mystae furentes, et pleni Deo, anguibusque redimiti crudas carnes dilaniabant. Agrioniis, Rex ſacrorum stricto ense ſacris operabatur. Lavinii, faſcinum plaustro invehebant in oppidum matronae. Oſchophoriis, palmites vitiferos gestabant adoleſ-

(*a*) Plutarch. Moral. xiv. de Avaritia. (*b*) Lib. 1. de arte:
Ecce Mimalonides ſparsis in terga capillis,
Ecce leves Satyri, praevia turba Dei. &c.

centes nobiles muliebribus ſtolis amicti. Brauroniis ebrii meretrices rapiebant. Una tamen ubique et eadem vivendi effrena libertas, adeo ut ipsi ſacrorum antiſtites multa dictu, viſuque turpia obtruderent ſollicitandis populorum risibus. Matronas non pudebat in foro, palam, & in oculis omnium ea patrare, quorum vel procaciſsimam in theatro meretricem puduiſset unis ſpectantibus matronis. Omittimus ludos voluptatum illices, lubrica comoediarum ſpectacula, commeſsationum luxuriam adeo immanem, ut ſobrius, ſi vel unus fortè in tantis lasciviae incitamentis ad omne flagitiorum genus provocantibus extiterit, austerus jam habitus ſit. Nec alio quàm Dionysiarum feriarum tempore visus est Diogenes accensâ lampade quaerens de die hominem rationis compotem. Potuiſset et hoc idem Plato, cùm temulentam vidit totam civitatem Bacchanalibus diebus, ut aſserit Lib. 1. de Legibus.

Ex impreſsis igitur numismati Alletiano figuris, memoratas Orgiorum caerimonias ad nefandae pietatis monumentum commiſsas fuiſse Cistophoris, nunc enucleandum est.

III.

De figuris Cistophorum aream occupantibus.

1°. De hederacea corona.

Quod de Bacchi ſacerdotibus præmonuerat Lucianus (a), eos ſcilicet a caeteris Deorum mystis differre uno hederae ſigno, de Bacchicorum ſacrorum ministris omnibus accipiendum est. Nam Sileni, Satyri, Thyasi, ipsis ne quidem exceptis quadrupedibus asinis, bobus, ſua quilibet hederaceâ coronâ redimiebatur. Tota etiam hederaceis foliis umbrosa erat Orgiorum ſupellex, taedae, lampades, ſigna, foci, hastae, currus, tripodes, vaſa, crateres, amphorae. Neque tanti interest evincere Baccho propriam fuiſse hederam, de qua tamen multi tam multa causantur. Volunt alii (b) in eo utrumque convenire, quòd ut ille ſemper eſt juvenis, ita haec ſemper

(a) In Tragopod. (b) Festus.

ſemper viret. Alii (*a*), quòd ejus folia vitis foliis ſint ſimilia, ſeu quia id efficacitatis inest hederae, ut hominum mentes in furorem praecipites agat (*b*). Fabulantur alii vitis feracitatem, ſi putator ejus fuerit hederâ coronatus (*c*). Sunt quibus in memoriam redeat historia Bacchi, qui puer in cunabulis hederae beneficio Junonis iram effugerat (*d*). Hinc provectior aetate factus, dicitur Ciſsum juvenem Dionysià agentem, ex prolapsu ſaltatorio mortuum, in hederam convertiſse (*e*); nautis aliò deportantibus illum jubentem navigare in Naxum, hederas per remos irrepsiſse (*f*); primum omnium hederaceam impoſuiſse capiti ſuo coronam, victoremque exercitum hederâ coronatum ex India reduxiſse (*g*). Quidquid ſit, in memoriam ſanè, et ad exemplum Indici hujusce triumphi, Dionysiis operantes ornabantur coronis hederaceis et pampineis, qualem videmus Cistophoro consignatam. In Philadelphica pompa, hederacea fuit, et vitiginea corona Liberi Patris ex India redeuntis. Facilè crediderimus nos, non pietate magis, quàm neceſsitate accersitam Dionysiacis festis hederam, ut pote natam vinosis vaporibus temperandis, et recreando capiti (*h*). Non alia ſaltem de causa tam familiaris fuiſse videtur hedera veteribus Poëtis, quos illâ ideo coronari aſserit Servius (*i*), quòd Poëtas ſemper vino plurimo uti manifestum est. Unde Poëtarum praeses, atque alter Appollo celebratur Bacchus. Adde quod Muſas expeditionum ſuarum comites habere voluerit (*k*), et Bacchantium instar insanire dicantur Poëtae. Majoris itaque fuit momenti in Orgiis corona hederacea, quam ideo non oportuit omitti in nummo vinolenta Bacchi ſacra referente.

Ad Liberi, Cereris et Proſerpinae religionem cistae pertinere dicuntur Suidae: ἔοικε δὲ κίστας ἱερὰς εἶναι τοῦ Διονύσου, καὶ ταῖν Θεαῖν. Quae verba fuêre in causa, cur multi non ſecernerent 1°. De cista.

(*a*) Phornut. Plutarc. Symp. III. Quaest. II. (*b*) Plutarch. Ibid. (*c*) Constantius Caeſ. Lib. V. cap. XXIV. (*d*) Ovid. Fast. III. (*e*) Constantius Caeſ. Lib. XI. cap. XXXI. (*f*) Natalis Comes in Baccho. (*g*) Plutarc Symp. III. cap. I. (*h*) Isidorus et alii. (*i*) Ad VIII. Eclog. Virg. (*k*) Diod. Lib. III. Clemens Alex. in Protr.

varios cistarum usus in variis plurium Deorum ritibus. Suas habebant cistas Canephoria Dianae, suas Eleusinia Cereris, suas Theogamia Proserpinae, suas Dionysia Bacchi, sed diversis rebus pro Deorum diversitate plenas. Canephoriis, apud virgines nubiles moris erat, ut canistros earum rerum refertos, quas acu elaborasent, Dianae consecrarent, atque ita significarent se prioris vitae, virginitatisque pertaesas, cupere exautorari (*a*). Eleusiniis, cibum et potum cistae complectebantur (*b*); Themidis arcanis, origanum (*c*); Theogamiis, panem (*d*); Eleusiniis, fruges (*e*); Dionysiis, frugum omnium primitias (*f*). Aliis quoque cistis continebantur propria earumdem feriarum, plebi ignota, et uni tantùm inauguratorum ne vilescerent, secreto commissa mysteria, quae pleraque tamen a jurato antistitum suorum silentio vindicata sunt. Themidis arcana mysticis cistis inclusa, erant lychnus et ensis (*g*); Eleusiniorum, et Thesmophoriorum, pecten muliebre (*h*); Orgiorum, sesama; pyramides, lana, liba multis umbilicis distincta, salis micae, mala punica, corda, ferulae (*i*). De istis nimirum cistis, quas Valer. Flaccus apppellat

— — *tacitâ plenas formidine cistas*,

intelligendus est Catullus

Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis,
Orgia, *quae frustra cupiunt audire profani.*

Seneca quoque in Anapaestis:

Nos Cadmaeis Orgia ferre
Tecum solitae condita cistis.

Praelatas inter tot cistas in Dionysiorum pompa, caeteras una longè antecedebat et populorum veneratione, et altissimo religionis intimae recessu. Illius meminit Apuleïus: *Ferebatur ab*

[*a*] Dorot. Sidonius. [*b*] Clem. Alex. Protrept. [*c*] Idem ibid. [*d*] Idem. [*e*] Hesych. [*f*] Schol. Aristoph. in Acharn. [*g*] Clemens loco cit. [*h*] Theodor. Ther. Lib. III. [*i*] Clemens ibid.

Origanum, flos coronis nectendis destinatus, idemque medicinalis. Plin. Lib. xx. et xxix.

Quid sit Pecten muliebre, malo lector aliunde discat.

Sesama et Pyramides placentae genus ex tritico melle admixto confectum. Hujusmodi placentas docet Pollux eorum etiam fuisse praemium, qui totam noctem vigiles decurrisent.

alio cista secretorum capax, penitùs celans operta magnificae religionis (*a*). Tibullo:

Et levis occultis conscia cista sacris.

Nec aliud quidquam obversari potest animo legentis apud Athenaeum in Ptolemaei Philadelphi pompa, initiationum arcana, et mysteria sacrificiorum delata fuisse ab Orgiorum ministris. Quid in hac cista reconditum lateret, suspicandum dedit Ovidius Naso:

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis.

Apertè Clemens Alexandrinus, qui Bacchi pudendum affirmat (*b*). Clementi suffragatur Pausanias, quamvis dissimulanter. Suae religionis honori ut consuleret, in cista finxit imaginem Bacchi (*c*). Astutiùs etiam Plutarchus turpitudinem tantam interpretationis velo vestire conatur (*d*). Osiridis, aut Bacchi nomine intelligendum contendit rerum omnium principium, quod vi procreatrice se ipsum multiplicat ipsâ eorum quae ex illo producuntur multiplicatione; ideoque phallos non modo, sed et Bacchi veretro triplici luxuriantis imaginem circumferri. Venerandam hanc, quae prima in Orgiis tenebat, cistam in Cistophoro repraesentari suadet cùm ipsa semiaperta cista, quae probrosa sua arcana proferri in lucem quasi reformidat, tùm mystica ratio, & congruentia quam aïunt intercedere serpentem inter cistae implicitum, et cistae commissa Bacchi pudenda. Phallis, seu τῶν τοῦ Διονύσου αἰδοιῶν, aeternitatem futuram, et ut loquuntur Dialectici, a parte post; sicut elapsam, et a parte ante, serpentibus demonstrabant. Neque aliter Platonici designabant spiritum illum, qui per universam mundi molem diflatur, atque effunditur; cujus beneficio omnia vigere, ali, et si fas ita loqui, perennare credebant. Hoc emblemate, quo usi sunt Valentiniani ad occultam rerum originem demonstrandam, Philosophi gentiles generum immortalitatem ostendebant, quâ principium ad finem dirigeretur, finisque reflecteretur ad principium, juxta illud:

[*a*] Metamorph. XI. [*b*] In Protrept. [*c*] In Achaic. [*d*] De Isid. et Osirid.

— — *Finisque ab origine pendet.*

Sed de his jam nimis multa, quae tantùm indicaſse ſufficiat.

Cistae Orgiasticorum mysteriorum capacis imaginem alteram exhibet nummus aereus ſecundae formae, e Musaeo Cl. et Erud. D. Cari Maſsiliensis depromptus. In eo Sidoniorum Dionysiorum nummo cistam opertam videre est, cum apposito thyrso lemniscis ornato.



Quâ cistae materiâ constarent, incertum. Illas e cannis fiſsis, aut etiam ligno exili et attenuato contextas Isidorus et Origenes produnt (*a*); aureas verò Damaratus, post Schol. Aristophanis (*b*). Materiam videtur determinaſse opum affluentia, aut uniuscujusque civitatis propria in Bacchum pietas. Neque magis compertum habetur ad quos ſpectaret earum in pompis deferendarum cura. Contrariae hinc inde pugnant ſententiae. Id muneris, ſi laudatum Martialem audiamus, viris demandatum erat, ſaltem Romae, et in Italia:

— — *nupsisti, Gellia, cistifero.*

Quod in Graecia factitatum quoque fuiſse innuit Demosthenes (*c*). Demostheni favere videtur Clemens Alexand. dum memorat a Corybantibus cistam fuiſse propositam populis adorandam

[*a*] Isidor. Lib. xx. Orig. cap. ix. [*b*] In Acharn. [*c*] Pro Ctesiph. de Aeschine.

Juvat ejus verba latinè referre, ut exinde pateat quid mercedis referrent apud Graecos isti, de quibus nunc, Cistiferi „ Interdiu praeclaros illos coetus per viam du-
„ cens, ſerpentes, quos Parias vocant, elidens, et ſuper caput efferens, et clami-
„ tans, Evoe Saboe, et interim ſaltitans, Hyes Attes, Attes Hyes, Praeſultor, et
„ Dux, et Cistifer, & Vannifer, et id genus aliis nominibus ab aniculis ſalutabare,
„ mercedem pro istis accipiebas placentas, et ſcriblitas, et recentes panes.

adorandam (*a*). Ex alia parte, virgines cistarum gestatrices frequenter audiunt apud Aristophanem, et ejus Enarratorem (*b*). Pacis componendae causâ, caduceatore opus est Athenaeo, qui in Dionysiaca Ptolemaei pompa, viros et mulieres ſacrorum arcana ſimul detuliſse affirmat. Extra tamen omnis controverſiae aleam est ex ſubjecto numismate, virgines cistae Sabaziorum capacis gestatrices fuiſse in Sabaziis. Ad id muneris obeundum ea deputabatur, quae caeteris praestaret et dignitate formae, et nobilitate generis (*c*). Athenaeo (*d*), vestis cistiferae Persica erat; Hesychio, Scythica stola, quae Istrianides dicebatur. Illa gestabat cistam in capitè, fasciis redimitam purpureis (*e*), pretiosoque opertam velo, et ad pedes demiſso. Habitus, et forma cistiferae virginis habetur in hoc ſingulari, et rariſsimo Tralliànorum Cistophoro, quem mihi communicatum voluit Cl. Croichetius, in ſupremo Sequanorum Senatu Orator. Pars aversa hujusce Cistophori Alletiano planè ſimilis.



Commune quoddam Dionysiorum omnium decus, et ornamentum ſerpentes. Illis coronabantur Mimalonides, Baſſarae. Non aliâ, quàm immanibus anguibus zonâ utebantur Bacchae. Draconem baltei, et torquis vices agentem ostentabant Maenades. Illos alii manibus demulcebant, et plebeculae ſummovendae, terrendaeve deosculandos impinge- 3°. De ſerpentibus.

[*a*] Loco citato. [*b*] In Acharn. [*c*] Hesych. [*d*] Loco citato.
[*e*] Plutarch. in Phocione.

bant. Alios alii canistris inclusos, alii taedis implicitos, aut thyrsis obrepentes gestabant. Unde Orgiorum veluti signum ex instituto serpens habitus (*a*). Orgiastici serpentes illi eorum de genere erant, quos Graeci παρέιας vocant. Naturâ faciles, et ad cicurationem prompti: mordere etiam, aut morsos doloribus afficere nescii (*b*). Tales crediderim, quos Bacchico percita furore Olympias Orgia peragens, ad incutiendum spectatoribus terrorem, ex hedera, et mysticis cistis obrepentes producebat; vel qui Romae, apud Bonae Deae, nec terrentes, nec timentes erant. In recensendis Lanuvinae Virginis, Ti. Caesaris &c. cicuribus serpentibus immorandum non est. Fictos quandoque serpentes ex auro, aliove metallo pro genuinis suppositos in Orgiis docent Clemens, et Arnobius, affirmantes aureum anguem initiatorum in sinum demitti. Ex Indica Bacchi expeditione traducti videntur serpentes in Orgia, quorum ritus plurimi ad illius expeditionis exemplar informati sunt. Commilitonibus suis serpentem Bacchus dederat baltei vice gerendum, serpentem ipse pro diademate gerens. Neque id satis; cùm sub imagine serpentis eum Dionysopoli in Thracia fuisse adoratum ostendat Patini nummus sub Gordiano Pio signatus. Tanta Bacchum inter et serpentèm necessitudo ex eo repeti potest, quòd ut Bacchus, ita et serpens aeternâ juventute floreat; vel quia serpente duce vinum et fruges invenerit; seu quòd Bacchum e femore Jovis recèns editum cinxerunt Parcae immanibus anguibus, innoxiè tamen os pueri lambentibus.

4°. De vanno mystica. Quam hactenus in Cistophoris pharetram viderant, aut videre se sibi persuaserant omnes ad unum Numismographi, vannum a nobis appellari mirabitur nemo, qui ad praesumptam pharetram oculos curiosiùs adjecerit. Pharetras in veteribus nummis angustas omnino, rotundas saepius, et instar thaecae recondendis sagittis accommodatas videre est. Contra verò impressa Cistophoris figura in latum producitur; arcuata equidem, at lateribus hinc inde prominentibus semiaperta,

[*a*] Clemens Alex. in Protrept. [*b*] Schol. Aristoph. in Plutum.

ideoque custodiendis sagittis inhabilis. Recondendis natae sunt pharetrae sagittis, telorumque missilium cuspidibus, quae cùm in Cistophoris promineant, et (quod in pharetris fieri non potest) per latera figurae quodammodo exiliant, figuram illam merum atque genuinum esse vannum planè evincunt. Servio: *Vannus est vas viminaceum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent* (*a*). Ergo cùm figura Cistophoro inscripta capacitatem habeat non tam recondendis telis, et arcui, quàm recipiendis frugibus convenientem, ejusque labra viminibus contexta, viminaceam eam probent, mystica prorsus dicenda est vannus Orgiis praeferri solita.

— — *mystica vannus Jacchi* (*b*).

Aurea fuit quandoque vannus, et ramulis aureis compacta viminis formam referentibus, quantum ex Apuleïo conjicitur. Instrumentum hoc facere ad animi purgationem, et homines ita purgari Bacchi mysteriis, ut frumenta vannis purgantur, altè persuasum erat (*c*). Hinc Bacchus modò Liber dictus est, a liberando scilicet animas a sordibus: modò Λικνίτης, et Λικνοφόρος a vanno, quae in sacris ejus λικνός denominabatur (*d*). Hinc etiam mystica vannus appellata, quippe quae purgandis animis apta. Pierius tamen in cod. MSS. Romano legit *musticam vannum*, unde quidam vannum mustaceam in Orgiis intellexerunt, per quam vinum percolaretur, quod aliàs per saccum fiebat: vinum autem ita percolatum Theophrasto et Polluci vinum saccatum dicitur. Ut ut sit, mysteriis Bacchi vannum ideo adhibitam volunt, quòd Bacchus in ea repositus, postquam ex utero matris, aut Jovis femore editus est. Quae sanè ratio levis omnino ponderis videtur, cùm in ea re nihil discriminis intercesserit Bacchum inter et caeteros mortales ejus coaetaneos. Tunc temporis omnes recèns nati in vannum de more reponebantur (*e*). Alii ex eo quòd Isis fratrem Osirim, seu Bacchum a Typhone fratre dilaniatum in frusta, vanno collegerit (*f*). In eorum ego malim ire sententiam, qui

[*a*] In I. Georg. [*b*] Virgil. Georgic. I. [*c*] Servius ibid. [*d*] Idem. ibid. [*e*] Idem loco cit. [*f*] Idem ibid.

opinantur morem praeferendae vanni in Orgiis traductum a rusticis frugum ſuarum primitias vanno congestas Baccho dicare ſolitis. Bacchus enim ſeminum parens, agriculturae, arborum, plantarum, vinique repertor habitus, cui ideo pronum erat rusticanos homines rusticis muneribus probarent ſe memores et devotos. Caeterùm in Orgiis vannos a mulieribus fuiſse delatas obſervandum (*a*).

5°. De arcu, et hastis. Erit fortè qui memor Luciani Bacchum ut imbellem ſaepius exagitantis, miretur arcum et tela mediis in Orgiorum ſignis exhiberi. Arcus enim & pilum bellicae ſunt virtutis teſserae, ac veluti inſignia. Quid ſi ad Arrianum provocetur? Dubitat ille an ab aliquo Dionysio bellum unquam in India gestum ſit, quòd nec Semeles filius, nec alius quispiam ejus nominis fuerit bellicosus. Verùm ut Lucianus Luciano, ita Arriano Arrianus ipse ſatisfacit. Hic disertè aſserit ſubactos Indos a Dionysio fuiſse edoctos ſagittandi artem, et bellicam disciplinam; ille verò testatur instructas pharetris et arcubus Maenades, Imperatore Baccho, impetum in Indos feciſse (*b*). Silentio praetermittuntur autores bene multi Bacchum de India triumphantem commemorantes (*c*). Nec enim bellicae virtutis alia desiderantur ab eo argumenta. Quamvis numerosae ejus copiae circa Carmelum a Licurgo fuſae, ipseque adeo debellatus a Perſeo fuerit (*d*), tot tamen victorias exinde retulit, ut Θρίαμβος, ſeu Triumphus fuerit cognominatus. Triumphare enim ideo dicitur, quòd Imperatori Capitolium petenti acclamabant milites: *Io Triumphe.* Triumphi nomen a θρίαμβω, Graeco Liberi Patris cognomine Varroni derivatur (*e*). Dictus est autem Bacchus Θρίαμβος, ἀπὸ τῦ θροεῖν, id est, a tumultuando clamare, καὶ ἰαμβίζειν, hoc est, maledicere. Apud veteres in more positum erat triumphantem conviciis impetere. Primus omnium Liber egit triumphum, atque in memoriam ſuarum victoriarum columnas apud Indos erexit

[*a*] Servius ibidem. [*b*] Lucian. in Bacch. Arrian. Rerum Indic. Lib. III.
[*c*] Plinius Lib. III. Solin. cap. LXV. Apollodor. Lib. III. Sidon. Apollin. XXII. &c.
[*d*] Dionysiac. Lib. XX. Pausan. in Corint. [*e*] De Lingua Lat.

erexit (*a*). Hinc frequens adeo in veteribus nummis Bacchi triumphantis imago. E multis unum aut alterum adduxiſse ſatis ſuperque ſit. In gaza Ill. D. Lebret Gallo-provinciae Proregis, aerei aliquot nummi Aegyptiaci, primae, ut aïunt, formae. Eorum alter Domitiani Bacchum exhibet in curru vectum a duobus Centauris, quorum unus thyrsum, victoriolam alter gestat. Trajani alter Bacchum eundem exhibet, ſed cum victoriolis in manibus utriusque Centauri. Alius etiam Antonini Pii, in quo Liber gradivus, dextro humero tropaeum gestans, laevâ manu thyrsum, ſubſequente pantherâ. Apud Ill. Marchionem D. de Bon in ſuprema fisci, et vectigalium curia Principem in Occitania, aereus extat Faustinae Pii filiae nummus ex aere magno apud Cyzicenos conflatus: in eo Bacchum curru vectum trahunt duae Pantherae, comitante triumphantem Satyro. Θηλύμορφον appellatum Dionysium refert Eusebius, quia miscellum ex viris et feminis exercitum conscripserat. Potniae in urbe Bacchus Ἀιγοβολός colebatur; apud Lacedaemonios Dionysius Ενυάλιος, ſeu Martius, cujus imago hastâ insignis erat, non thyrso (*b*). Omittendae quoque non ſunt memoratae ab Euripide Bacchi ſagittae (*c*). Bacchi Martii imaginem habemus in Brixiana gemma expreſsam apud Monfauconium, Suppl. Antiq. Tom. I. pag. 154. Tab. LIX. Baccho illi pampinis coronato vestitus est militaris idem qui Romanus olim antiquus, ſeu paludamentum, cum gladio ſinistro lateri praecincto; dextrâ taedam ardentem praefert, uvas et ſpicas. Maenades igitur, quae ſuis in Orgiis pleraque ex Indica Bacchi expeditione mutuatae fuerant, non decuiſset inermes ferias egiſse. Earum martialem habitum descripsit Ovidius (*d*). In Philadelphico choragio virgines erant toto corpore armis instructae: juvenes cum exiguis peltis, et thyrsorum hastis: Aethiopes hastati: boves ſuspensum e collo gestantes aegida: currus loricis, clypeis, et armis onusti. Hinc factum cur Orgiis initiati militarem ex-

[*a*] Plin. Lib. XVI. Apollod Lib. III. [*b*] Pausan. in Boeot. Macrob. Lib. I. cap. XIX. [*c*] Athen. Lib. XV. [*d*] Metam. VI. ubi. ſic:

Tempus erat quo ſacra ſolent Trieterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus. Nox conscia ſacri &c.

peditionem obire dicerentur a ſanctis Patribus. Et verò, ſpectacula Evianum ea erant, in quibus epoto multo vino ad arma concurrebatur (*a*). In Agrioniis, ſacerdos ſtricto gladio procedebat (*b*). Eorum nos fortè duceremur opinione, qui volunt priſcos populos impreſso in nummis arcu et hastâ, bellicam ſuam propriam oſtentaſse virtutem, ſi arcus et hasta in eo non exhiberentur nummo, qui Orgia ex toto referat.

6°. De thyrſo. Thyrsus ex Indica quoque Bacchi expeditione oriundus. Ut Indos ludicro belli apparatu deluſos invaderent Maenades, pharetris, arcubus et telis hederâ vestitis dicuntur uſae. At ubi ad pugnam ventum est, praecipiti cursu in eos provolarunt ex ſummis thyrsis ferrum nudantes (*c*). Nam thyrsus Macrobio (*d*), latens est telum, cujus mucro hederâ lambente protegitur. Communi Orgiorum in usu fuit, et a Bacchantibus priorum Maenadum aemulis in Orgia, et ab Orgiis in Cistophoros advectus. Aureus quandoque, qualis ille apud Athenaeum, Lib. V. cubitorum nonaginta, cum argentea hasta cubitorum ſexaginta. Argenteum thyrsum ſigno Liberi Patris appoſitum memorat lapis vetus apud Gruterum, pag. 67. In nummis frequenter occurrit thyrsi mucro nudus, et hederaceo umbraculo vacuus; aliquando etiam quernea glande, aut pineo pomo vestitus, eò quòd hominibus glande veſcentibus usum frumenti Bacchus dediſset (*e*). De ovo, quo faſtigiati habentur thyrsi pluribus in Cistophoris, commodiùs alibi, N°. XV. agetur.

Incidit in manus nostras eximiae prorsus integritatis Cistophorus alter Alletiano ſimilis, cujus thyrso appenſum erat videre phallum, non remedium quidem, praebiave, aut faſcinum infantium custodem (*f*), ſed unum ex illis pudendis, quibus ſuſpenſis e collo, et mediis femoribus ſaltabat Orgiastica cohors (*g*). Aptior stomacho movendo, quàm admira-

[*a*] Maxim. Tyr Serm. XII. [*b*] Plutarc. Quaest. Graec. [*c*] Lucian. in Bacch. [*d*] Lib. I. cap. XIX. [*e*] Virgil. Georg. I. ſic ille:

Liber, et alma Ceres, vestro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ.

[*f*] Plin. Lib. XXVII. N°. VII. [*g*] Suidas, voce φαλλοί.

tioni turpicula res. Quid enim mirum commiſsas fuiſse nummis obscoenitates ab illis, quos divinis honoribus eas afficere non pudebat, non tantùm verecundiore ſecreto, ut ait Augustinus (*a*), ſed in propatulo exultante nequitiâ. In Orgiis Baccho Soli generationis patri Ithyphallos ſubrigebat Graecia, et ſimulacris virilium fascinorum territoria cuncta florescebant (*b*). Aegyptiacae mulieres, posito scilicet omni pudore, phallorum erant gestatrices in Pammeliis (*c*). In Graecia et Asia phallophoros inducit Athenaeus Lib. XIV. Hederaceum illis integumentum e ſerpillo, acantho ſuperinjecto; violis et hederâ coronati, laenaque amicti procedebant. Nefandi hujusce ritûs autor dicitur Bacchus. Semelem matrem reducendi ex Inferis, aut quid rei in Tartareis ſedibus perageretur noscendi cupiditate illecto, Acherusios aditus indicaturum ſe pollicetur Prosymnus quidam, quem alii Hypolinnium, Hypelipnum alii vocant. Quibus iste nefandis conditionibus steterit, pudoris interest legendum exhibere, cùm apud autores bene multos rei turpitudo tota quanta est depingatur (*d*). Alias alii phallophoriarum origines dabunt (*e*).

Aliquot in Cistophoris thyrsi vices gerit taeda, foliis hederae, aut etiam ſinuoso vestita ſerpente. Ut a nocturnis, ſuis ſacris Bacchus cognominatus est Nyctileius, ita et a taedis Lampterius. Cereri Prosepinam filiam facibus accensis quaerenti comes affuerat. Quod fortè ut imitarentur Pellenenses, dispositis per urbem vini crateribus, Liberi templum noctu adibant ipsius numen medias inter ardentes taedas quaesituri (*f*). Athenis, ad Cereris, colebatur ſignum Bacchi facem gestantis (*g*) Faces illae in uſu Nyctileïorum Orgiorum, de quibus Virgilius Maro, Georg. IV. 7°. De taeda.

Inter ſacra Deûm, nocturnaque Orgia Bacchi.

Sacra nimirum hujusmodi, in lucis ut plurimùm, ſpecubus, et ſubterraneis locis peragebantur. Reg. III. ubi de Asa rege:

(*a*) De Civit. Lib. VII. cap. XXI. (*b*) Arnob Lib V. (*c*) Herodot. Lib. II. cap. XLVIII. (*d*) Diodor. Sicul. Clemens Alex. Theodoret. Arnob. Hygin. (*e*) Schol. Aristoph. Orpheus in hist. Cereris. (*f*) Pausan. Lib. VII. (*g*) Idem. Lib. I.

Insuper et Maachan matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris Priapi, (id est Bacchi, ut inferiùs constabit) *et luco ejus quem consecraverat, subvertitque specum* &c. Quò talibus in locis vacari posset Orgiorum caerimoniis adhibendae fuerunt faces, quae suum significantiùs designare non potuerunt usum, quàm hederacaeo, serpentiferoque cultu.

Facem in Orgiis praeferre, maximo honori erat; Et ex eo capite Callias Atheniensis apud Aristotelem Lib. III. Rhet. cap. II commendatur. Clarissima quaedam mulier, Acestium nomine, eò fortunae devenit, ut fratrem, virum, & filium omnes Δαδούχους habuerit. Δαδοῦχος namque dicebatur ille, qui facium gerendarum munus exercebat. Plures eo nomine veniunt inter sacrorum mystas apud Vandalium, Diss. VI. In Lenaeis Δαδοῦχος inclamari moris erat, quasi Bacchus ipse vocaretur (*a*). Δαδρύχος Satyrus occurrit in M. Aurelii Antonini aereo numismate, apud Vaillantium, cum adjecta Cerasinorum in Ponto epigraphe.

8°. De caduceo.

Subditur aliquandò caduceus loco facis, aut thyrsi in Cistophoris. Suus illi locus erat in Orgiis, quae per praeconem caduceatorem populo indicebantur (*b*). Aureum caduceum in manibus Silenorum Dionysiacam pompam agentium commendavit Callixenus Rhodius (*c*) Nihil eo loci de Mercurio Bacchum recèns natum deferente Nysaeum in antrum cogitare velis. Libero Patri non minùs quàm Mercurio communis fuit caduceus; pacis siquidem, et concordiae idem, qui bellorum et victoriae praeses, et autor Bacchus. Junonis etiam inimicitias ad amicitiam Jovis, consuetudinemque reduxit. Quare reconciliationis Deus non immeritò dicitur ab Aristide. In eo Macrobius et Tristanus Santamantius conveniunt, ut velint Mercurium et Liberum Patrem habitum fuisse numen idem a veteribus, praesertim, ut opinor, a Spartiatis et Eleatibus, qui Mercurii Bacchum, et rursus Bacchi Mercurium gestantis imaginem

[*a*] Schol. Aristoph. in Ranis. [*b*] Plutarc. in Theseo. [*c*] Athen. Lib. V.

imaginem colebant (*a*). Bacchica hermatenea, quae quamvis hùc faciant, taciti praetermittimus (*b*).

In celebri Thesauro Fridericiano, quem nuper publici juris fecit Eruditiss. Christianus Sigismundus Liebe, inter Gentium Romanarum nummos refertur Cistophorus Ap. Claudii Pulchri. Latere sinistro partis illius, in qua serpentes nexibus suis vannum obsident, duae sunt ferulae. Baccho ferulam adjudicari Plinius, Aristides, et alii docent (*c*): qua verò de causa, nobis in comperto non est. Argumentum tamen ex eo deduci fortè potest, quòd Bacchus humanae vitae conservator, medicinaeque inventor, et Deus habitus sit; ferula autem ad restituendam, conservandamque salutem utilis. Fruticem hunc animantibus mortiferum, uno excepto asino, et hominibus medicinalem tradit Plinius idem. Ferulae folia, aut lenti surculi intelligenda veniunt apud Clementem Alexand. ubi de Orgiasticis cistis agit. Bacchicae taedae non alio constabant, quàm duro ferulae ligno. (*d*) Ut cruentis ebriosorum Orgiorum rixis occurreretur, Bacchantium quoque hastas voluit Bacchus esse ex illo frutice, ut pote gravioribus infligendis vulneribus propter innatam levitatem inhabili (*e*); quamquam vel durissima saxa Bacchus puer ferulâ confregerit (*f*). Mallei et formam, et nomen quandoque sortita est ferula, cujus surculi utrimque capitulati, ut exprimitur in Fridericiano, et Cretensi Cistophoris, malleoli etiam vocantur (*g*). Tertullianus de Plutone: *Risimus quòd Ditis pater, frater Jovis gladiatorum exequias cum malleo deducit, quòd Mercurius corpora exanimata jam mortem ne simulent, e cauterio probat* (*h*). Eò loci, et alio apud Tullium (*i*), malleus idem, qui Graecis νάρθηξ ἰατρικὸς; et veteri Glossario: *Virga bacillus ex medicinali ferula*; quia, teste Plinio, nulli fruticum levitas major: ob id gestata faciliùs bacculorum usum senectuti praebet (*k*). Ferulei igitur fuerunt baculi, et frequentes in

9°. De ferula.

(*a*) Macrob. Lib. I. Tristan. Tom. II. pag. 633. (*b*) Suidas, voce μαρόνειος. (*c*) Plin Lib. XXIV. Nonnus Lib. I. [*d*] Aristid. (*e*) Plutarc. Sympos. VII. Quaest. X. (*f*) Oppian. Cyneg. Lib. III. (*g*) Plin. Lib. XVII. n°. II. (*h*) Apol. ad Nation. Cap. x. (*i*) De Senectute. (*k*) Plin. Lib. XIII. n°. XXII.

Orgiis, quorum ministri ναρθηκοφόροι audiunt apud Platonem (*a*). Anthologiae Lib. I.

Πολλοὶ τοὶ ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

Superest disserendum aliquid de Solis sydere, et acrostolio, quae Cistophori aliquot exprimunt suo loco appellandi. Sed commodiùs alibi tractanda videntur, quandoquidem hactenus jam nimis multa. Neque etiam plura desiderari possunt argumenta ad evincendum in Cistophoris expressa fuisse Orgiorum solemnia, quorum origo tandem paucis investiganda est, antequàm ulteriùs progrediamur.

I V.

Orgiorum origo, et propagatio.

Monstrum hoc turpitudinis, propudiosa videlicet Orgia, oriundum ex Aegypto arbitramur. Non aliunde profectò commigrarunt in alias oras omnia Deorum nomina, praecipuique eorum cultus, et caerimoniae, si locupletes testes audiamus Herodotum, Gregorium Nazianz. Cyrillum, Clementem Alexand. Qui Latinis Liber Pater fuit, idem Aegyptiis Osiris. Dispari, geminoque nomine appellatum numen idem profitetur Plutarchus (*b*), qui multis evincit Aegyptiorum Pammelia cum Graecorum Dionysiis convenire. Osiridi in Aegypto hedera, quae caeteris in orbis partibus Baccho sacra erat: unde a Graecis ea planta Chenosyris appellata est. Intra Aegyptios, Graecosve limites ea non stetit opinio, quippe quae apud Romanos invaluerat. Quidquid enim apud istos de Baccho, apud alios de Osiride praedicatur; ars videlicet terram arandi, seminibus gravidandi, messibus spoliandi, arbores insitionibus foecundandi, vites instituendi, vinum conficiendi. Longum sit per singula excurrere, jucundiùs apud Poëtam legenda (*c*).

Orgiorum parens Isis. Osiridem e medio sustulerat Typhon, et illius corpus quatuordecim in partes dissectum dis-

(*a*) In Phaedone. (*b*) Lib. de Isid. et Osir. (*c*) Tibull. Lib. I. de Messala: *Primus aratra manu* &c.

pertiverat totidem inter Titanes ſceleris participes, et faſcinoris admiſsi conſcios. Scelere cognito, atque filiis in ultionis ſocietatem Oro et Anubide advocatis, cùm Isis nihil ex omnibus Osiridis partibus, praeter αἰδοῖον reperiſset, tutelae ſacerdotum Aegyptiorum commisit illud divinis afficiendum honoribus. Non ita multo post ab his ſacrorum antistitibus aere annuo devinctis instituta ſunt Pammelia, in quibus venerabile illud numen Ithyphalli, quot annis, mense Athyr, ſeu Novembri, ſuas caerimonias adeptum est. Explendae libidini accommodatiores erant Pammeliorum ritus, quàm ut per finitimos latè populos non ſerperent. Aegyptii faciles nacti ſunt imitatores Moabitas, Madianitas &c. Moabitae Hebraeos. *Morabatur autem eo tempore Israël in Setim, et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quae vocaverunt eos ad ſacrificia ſua; at illi comederunt, et adoraverunt Deos earum, initiatusque est Israël Beelphegor.* Num. XXV. Madianitarum et Moabitarum Beelphegor numen omnino idem quod Graecorum et Latinorum Priapus. D. Hieronymo: *Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum poſsumus appellare* (*a*). Et rursus; *Phegor in lingua Hebraea Priapus dicitur* (*b*), Isidoro: *Beelphegor ſimulacrum ignominiae.... Latini Priapum vocant* (*c*). Ex ipſo quoque nominis etymo idem colligitur. *Nomen Beelphegor*, ait R. Baal Aruch, *explicatio ejus est os nuditatis*, cui, aſserente R. Salomone Jarchi, mulieres Beelphegoris cultui mancipatae maritabant ſe totis diebus. Itaque, ut Orientalibus Beelphegor, ita Graecis Priapus (*d*). Sic etiam Graecis et Latinis Bacchus dicitur Phallus, Ithyphallus, Priapus (*e*). Scholiasti Aristophanis: Phallus et Ithyphallus est Priapus; Phallica dicuntur carmina, quae canuntur in Phallum, quod est, in Bacchum (*f*). Athenaeo: Lampsaceni Priapum venerantur, qui idem est ac Bacchus (*g*). Athenaeo praeiverat Herodotus in Euterpe, et Lucianus de Dea Syra, ubi Priapi, ſeu Phallorum in hunc ſenſum acceptorum recitantur historiae. Quaerentibus ab Oraculo Methymnensibus, de reperto a ſe inter piscan-

[*a*] Ad Oseae cap. IX. [*b*] Lib. I. contra Jovin. cap. XII. [*c*] Origin. Lib. VIII. [*d*] Voſsius de orig. Idol. cap. VII. Lib. II. [*e*] Seldenus de Dis Syr. cap. V. Sint. II. [*f*] In Acharn. [*g*] Lib. I.

dum ligneo phallo, cujus apex vultum, et ora hominis referebat, responsum est Bacchum venerarentur: Φαλληνὸν τιμῶσι Διονύσοιο κάρηνον (a). Plures omittimus divinarum Scripturarnm interpretes sententiae nostrae propugnatores, et antesignanos. Controversiam omnem, si quae tamen possit esse, dirimit Orpheus, qui scripsit Priapum Deorum antiquissimum, eundemque cum Baccho. Successu temporum, Bacchi et Priapi velut distincta totidem numina, a plebecula fuisse habita, notum est. Sed quid inde? A nobis semper stabit eorum sententia, qui Hellespontiacum origine Priapum Deum volunt novitium, Hesiodo ignotum, adeoque Mosis, atque etiam Azae regis temporibus longè posteriorem. Eum quoque nondum coelo admissum esse propter meritorum tenuitatem tradit Fulgentius. Fuerunt igitur Beelphegoris sacra eadem quae Bacchi, Beelphegor numen idem ac Bacchus.

Ex Aegypto in Graeciam translata dicuntur Bacchi Orgia per Melampum (b). Docent tamen alii Bacchanalium, Panathenaeorum, Thesmophoriarum, et Eleusiniorum initiationes Orpheum, virum Odrysen, Athenas detulisse, et ex Aegypto transtulisse digressum Isidis et Osiridis in mysteria Cereris et Bacchi (c). Sed ea sacra Orpheo antiquiora in Graecia reponit Herodotus Lib. II. secundùm quem Thesmophoria Cereris a filiabus Danai ex Aegypto advecta sunt, et ab eis Pelasgiotidas mulieres edoctas. Ergo Cereris Mysteriis quoniam multa cum Orgiis Bacchi fuerunt communia, et in Eleusiniis atque Thesmophoriis ampla Bacchi fiebat commemoratio (d), facilè crediderim Graecos Danai filiabus Orgia Bacchi retulisse accepta. Quisquis ille sit Orgiorum in Graeciam traductor, mirum quantùm ea sacra propagata sunt. Non defuerunt e Graecia, qui ad finitimas gentes ea deferrent. Orpheus in monte Boeotiae proximo Thebis, ubi Liber natus credebatur, primus Orgia celebravit, et ea deinde Laomedontis aetate transvexit Ilium (e). Cistam Orgiorum capacem,

[a] Pausan. Lib. X. Euseb. Lib. V. [b] Herodot. Lib. II. [c] Plutarc. Theodoret. Lib. I. Ther. [d] Cicero de Leg. III. [e] Lactant. de fals. Rel. Lib. I. cap. xxii.

cem, quam excisâ Trojâ, praedae partem Euripilus sortitus fuerat, detulit Patras praecipuis honoribus colendam (a). Quod in causa fuit, ni fallor, cur existimaverint Interpretes a Trojanis Orgia translata Lavinium, ubi Maenades serpentibus coronatae procedebant ululantes: Phallus quoque, comitantibus Matronis, deferebatur per agros Lavinii, et caeterarum Italiae civitatum, cum cantu et ululatu (b). Ovidius alludere videtur communi huic priscorum Latinorum mori, dum canit Evandri aevo Ino Matutam matrem, cum Melicerta filio, in latinas oras appulsam reperisse Bacchantes Orgia celebrantes apud Semelem Bacchi lucum, ubi Arcades ea sacra instituisse ferebatur (c).

Lucus erat: dubium Semele, Stimelene vocetur:
Maenades Ausonias incoluisse ferunt &c.

Feliciter omnino ad innuendam Orgiorum antiquitatem in Latio, ubi fautorem, atque propagatorem nacta sunt Evandrum ipsum (d). Romanorum Salii in suis carminibus Liberum Patrem appellabant, ut et Martem Patrem, tanquam Deos Indigetes, et antiquissima Latinae, et deinde Romanae gentis numina (e). Ut ut sit, quàm antiquitùs celebris apud Latinos veteres fuerit Bacchi cultus, arguitur ex Aruntio (f). Hic a natali die laborans aquâ intercute, Bacchum, dum Bacchanalia fierent, flocci faciebat. Numinis irâ, Medullinam filiam obscuro loco corrupit ebrius. Illa dempto violatori annulo parentem agnovit. Major annis facta cùm esset, intellecto flagitio, patrem inebriat, et hederâ coronatum ad fulguris aram ducit, fusisque lacrymis, virginitatis suae mactavit insidiatorem. Unde factum est, ut ampliata statim fuerit in Bacchum devotio, ne iratus contemptores sui traduceret in ebrietatem.

Ex dictis hactenus sua lux affulget Livio et Clementi Alexand. qui Graecum ignobilem affirmant in Etruriam Bacchanalia transtulisse (g). Loquuntur illi nimirum de Bacchanali-

[a] Pausan. in Achaic. [b] Macrob. in Somn. Scip. Alexand. Genial. Lib. III. cap. XVIII. [c] Fast. IV. [d] Ovid. ibid. [e] Macrob. Saturn. Lib. I. cap. XIX. [f] Plutarc. Parall. cap. XIX. [g] Livius Dec. IV. Lib. IX. Clem. Alex. Protrept.

bus novo et peregrino ritu inductis. Quid in nocturnis illis, et adventitiis scelerum omnium officinis patraretur, dabit ipse Livius, et ab eo plerique omnes Romanae Historiae sarcinatores. Itaque, quod priùs quondam factum jam fuerat per Diagondam Thebanum (*a*), Romae quoque, ubi sartis, tectisque habitis veteribus, diurnis scilicet Bacchanalibus, nocturna illa peregrina per totam latè Italiam solemni Senatûs consulto sublata sunt a Postumio Consule, U. C. anno DLXVIII. Illius S. C. formam e veteri tabula aenea, subjecit Fabrettus, Inscr. cap. VI. quam purgatam mendis prodidit iterum, et notis illustravit Cl. Mat. Aegyptius (*b*).

V.

De variis varias apud nationes Orgiorum feriis.

Ad propositum itaque ut redeamus, quoniam Orgiorum mysteria in Cistophoris exhiberi ostensum est, quâ occasione, seu quibus in feriis Bacchi signati fuerint Cistophori, nunc investigandum. Etenim ut caeteris Numinibus, sua sic Baccho erant solemnia: neque unius cognominis, quippe quae diversam, pro regionum diversitate, denominationem sortita.

Injuriâ temporum licèt rara omnino transmissa fuerint ad nos usque veterum Kalendaria, ab oblivione plura tamen vindicata sunt festorum dierum nomina, quibus quanti Deorum quisque fieret apud populos, intelligere est. E multis pauci sunt, qui cum Baccho in frequentioris publicae venerationis contentionem venire possint, si ad festos cujuslibet dies attendatur. Longum sit, atque adeo infinitum per omnes festos dies Libero sacros excurrere, cum regio nulla, oppidum prope nullum, quod solemnes, et proprios ejus nomine non egerit. Illorum nonnullos appellasse sufficiat.

[*a*] Cicero de Legib. II. [*b*] Vide Biblioth. Ital. Tom. VII. pag 220.

Commemorantur itaque Atheniensium *Lenaea* [*a*], *Anthesteria* [*b*], *Apaturia* [*c*], *Haloa* [*d*], *Agrionia* [*e*], *Phelli* [*f*], *Recentiora* [*g*], *Urbana*, *Majora* et *Minora* [*h*], Achivorum *Turbae* [*i*], Megarensium *Nyctileïa* [*k*], *Lampteria* Pellenensium [*l*], Aleatarum *Scieria* [*m*], Eleorum *Thyïa* [*n*], *Antiquissima* Limnensium [*o*], *Phallophoria* Sicyoniorum [*p*], Boeotorum *Liberalia* [*q*], Heraeensium *Orgia* [*r*], Brauronensium *Brauronia* [*s*], Pisidensium *Dionysia* [*t*], Alexandrinorum *Lagenophoria* [*u*], Aegyptiorum *Pammelia*, *Comasia* [*x*], Rhodiorum *Pancladia* [*y*], *Apaturia* Samiorum [*z*], Asianorum *Sabazia* (*&*), Arbelitarum Siculorum *Agrypnia* [*aa*], Messapiorum *Bisboea* [*bb*], Atticorum *Theoenia*, *Ascolia*, *Oschophoria* [*cc*], Cyzicenorum *Tauropolia* [*dd*], Laviniorum *Liberalia* [*ee*], Romanorum *Bacchanalia*, *Hilaria*, *Vinalia*, *Meditrinalia* [*ff*], caeterorum Graecorum *Neaenia*, *Cholas*, *Protugesia* [*gg*], *Ambrosia* [*hh*], *Amilleteria* [*ii*], *Phallogogia* [*kk*], *Bacchia* [*ll*], *Thalysia* [*mm*], *Iobacchia* [*nn*], *Lernaea* [*oo*] &c. Alias similes omittimus ferias Eleutherensium, Cylleniorum, Meliastarum, Cynaethaensium, Ligurum Thracum, Cypriorum, Patrensium &c. In appellandis illis, appellandae omnes erunt, et singulae civitates, ac populi. Ut caerimoniarum varietati festorum multitudo conciliabat reverentiam, ita eorum multitudini varietas non officiebat: res quippe eadem mutato quamvis nomine peragebatur. Omnes Liberi Patris ferias genericâ voce *Orgia* Latini, *Dionysia* Graeci nuncupabantur [*pp*]. De

[*a*] Hesych. Aristoph. Diog. Laert. [*b*] Hesych. [*c*] Alciphron. in Epist. Aegialei. [*d*] Eustath. [*e*] Plutarc. Quaest. Rom. [*f*] Suidas. [*g*] Schol. Thucid. [*h*] Hesych. Demost. contra Leptin. [*i*] Pausan. in Corint [*k*] Idem in Attic. [*l*] Idem in Achaic. [*m*] Idem in Arcadic. [*n*] Idem in Eliac. [*o*] Schol. Aristoph. in Ranis. [*p*] Athen. Lib. XIV. [*q*] Pausan. in Boeotic. [*r*] Idem in Arcad. [*s*] Schol. Aristoph. [*t*] Suidas [*u*] Idem. [*x*] Herodot. Kircher. [*y*] Hesych. [*z*] Herodot. in vita Homeri. Proclus in Timaeum. [*&*] Tullius Cic. de Nat. Deor. Lib. III. [*aa*] Hesych. [*bb*] Hesych. [*cc*] Harpocrat Schol. Aristoph. Plutarc. in Thes. [*dd*] Hesych. [*ee*] Ovid &c. [*ff*] Idem &c. [*gg*] Hesych. [*hh*] Proclus ad Hesiod. [*ii*] Trezzes. [*kk*] Theodoret. Lib III [*ll*] Hesych. [*mm*] Menand. Rhetor. [*nn*] Demosth. in Neaeram. [*oo*] Meursius Graec. fer. e veteri lapide. [*pp*] Silvius in Catull. de nuptiis Pelei et Thetid.

Sabaziis ſpeciatim ſermo instituendus jam, ut annuâ eorum occasione ſignatos Cistophoros ostendamus.

V I.

De Sabaziis.

Sabazia denominata ſunt a tripudiis, et inconditis clamoribus Maenadum furore percitarum. Nomen illud derivatur ἀπὸ τῦ σαβάζειν, barbarâ, ut aïunt, voce, quae ſonat idem ac εὐάζειν, id est, vociferari *Evohe* (*a*): qui clamor Bacchantium fuit, quasi dicerent εὖ οἷ, *bene illi*, ſcilicet apprecantium Baccho Sabazio. Sabazii hujuſce Bacchi pater Caprius quidam refertur a Tullio (*b*); quis Caprius ille, adhuc incompertum apud Interpretes. Non intelligendus profectò venit eo nomine Caprius ille Causidicus, acerrimus nocentum Romano in foro insectator habitus (*c*), cùm aetas, et vitae ratio Caprium hunc a Caprio Dionysii Patre prorsus discriminent. Nullus tamen hujuſce nominis alter, quod reſcierim, in veterum monumentis obvius est. Ergo nomen illud, Lescaloperio referente, plerique tantisper immutatum volunt. Alii *Cabrum* reponunt Phaselitarum Deum, quem Suidas Καλαβρόν (*d*), Erasmus Λάπρον (*e*), appellant: alii *Cabirum*, cùm constet Jovem Infernum, qui fuit unus e quatuor Cabiris, e Proserpina Dionysium ſuſcepiſse (*f*). Ad verisimilitudinis limites propiùs pertingere, Lescaloperio licèt refragante, videtur haec opinio, quippe quae Diodori Siculi utcumque nixa calculo. Traditur quoque et alter multa prior aetate Dionysius, quem referunt ex ove, et Proserpina natum, et a nonnullis appellatum Sabazium. Haec ille (*g*). Stuprata Ceres a Jove ſub tauri forma, ſeptimum post mensem peperit Proserpinam, quam aetate florentem vervecus pater Jupiter idem corrupit in draconem mutatus. Hinc natus Bacchus Sabazius, cujus honores, et ſacra, propter pudorem ex concubitu patris exortum

(*a*) Suidas. (*b*) Loco cit. (*c*) Horat. Sat. VI. (*d*) voce Φασηλὶς. (*e*) Adag. (*f*) Suidas voce Ζαλγεὺς. (*g*) Lib. IV.

exottum, altiſsimo ſemper obruta ſilentio permanſiſse refert quoque Diodorus [*a*]. Nocturna tamen fuiſse Sabaziorum myſteria non ambigitur: τὰ Σαβάζια νύκτερα θύσθλα [*b*], ſerpentem Sabaziorum ſymbolum, in illis complicatum draconem circumferri, draconem immitti in eorum ſinum qui initiantur, atque reſupinis veſtibus ſubduci, Sabazii ſacerdotes, et loca ipſi conſecrata Σαβοὺς, aut etiam Σαββοὺς vocari [*c*]. In Sabaziis acclamatum quoque fuiſse ὕη, docet Strabo [*d*]. Hyes Dionyſii epitheton eſt, propter ejus in naturam humidam dominium. Veteribus Phyſicis Bacchum Solem humore, et Oceani vaporibus nutriri perſuaſum erat. Quamobrem Baccho Hyï ſacra fiebant pluvio tempore [*e*]. Ab Heſychio, et Phavorino Ὑεὺς, ſive Hyes, aut Hyeus interpretatur Sabazius, quod operae pretium eſt animadvertere.

Frigidum ſanè Plutarchi commentum deducentis Σάββατον Hebraeorum a Σαβάζειν, quòd Judaei eo die ad largiùs bibendum invicem provocare ſe ſoliti eſsent. Voſsio tamen Σαβάζιος eſt ab Hebraeo צבא, *militia*, *exercitus*: unde 2. Sam. 5. & Ps. 24. et 59. יהוה צבאות: ita et Rom. 9-29. et Jacobi 5-4. Κύριος Σαβαώθ, *Dominus Sabaoth*, *Deus exercituum*. Sabazium cum Sabe, et Sabo eundem facit Hornius [*f*], qui a *Sufes*, voce Punica, Sabis etymon derivat, et à Sabo Sabinorum nomen. Sabis Arabum Deus, Sabothae in Atramitarum metropoli veneratus, cui decimae thuris a Sacerdotibus Σαβοῖς colligebantur. Sabus Sabatii nomen a Saturno ejecti filius, primus Aboriginum rex, a quo nomen ſuum Sabini obtinuêre. Quae poſtrema Hornii opinio adverſatur Valerio Maximo, qui Sabazium, ut pote peregrinum, et ejus ſacra a Romanis civitate ejecta narrat [*g*]. Sabazii illius ſacra civitate ejecta, de peregrinis Bacchi, et nocturnis feriis accipienda eſse conſtat, quandoquidem nuſquam alibi Jovis ſacra Romae interdicta legere me memini. Fatendum tamen Mnaſiae Patarenſi [*h*], Bacchi filium fuiſse Sabazium. Sed refragatur communis autorum ſententia, Mnaſiamque in memoriae lapſum incidiſse ſa-

(*a*) Ibid. Arnob. Lib. V. (*b*) Oppian. Cyneget. (*c*) Clemens Protrep. Firmicus. Harpocration. (*d*) Lib. X. (*e*) Suidas, voce ὕης. [*f*] Hist. Philoſoph. Lib. II. cap. 12. [*g*] Lib. I. cap. 121. [*h*] Harpocration.

tis ostendit. Hesychio, Sabazius est cognomen Bacchi; Diodoro, Demostheni pro Ctesip. Amphiteo, Phavorino, Tullio, Apuleio &c. Sabazius idem qui Bacchus.

Sabazius quoque Jupiter dicitur apud Val. Probum, ad quem Ernstius [a] quaerit an Jupiter ille aliquis sit de trecentis Jovibus Varronis: an legendum potiùs *Jovi Stratio*, qui tanquam Imperator, seu exercitui Praepositus, Gallicè, *General d'Armée*, apud veteres in Caria, Ponto, Cappadocia, colebatur. Posteriorem sententiam, praeeunte Lyl. Giraldo, amplecitur Sertorius Ursatus [b]. Immerito tamen, cùm Jovis Sabazii vetera marmora aliquando meminerint.

I.

Q. NVNNIVS
ALEXANDER
DONVM DEDIT
IOVI SABAZIO

Just. Lips. Insc. XXVIII-2. Gruter. XXII-5.

I I.

SP. METTIVS
ZETVS
IOVI SABAZIO
D. L. D.
L. D. D. D.

Grut. XXII-4.

I I I.

IOVI OPTIMO
MAXIMO
SABATIO
C. CAETRONIVS OCCI
IVS VALERIANVS MIL
SEMPLAR ARMATVRAE
V. S. L. M.

Spon. Miscel. §. 3. pag. 78.

[a] Notar. cap. 15. [b] De Notis Rom. voce *Jovi Sabatio*.

Ad quam ultimam inscriptionem celebris editor opinatur a Baccho ad Jovem translatum fuisse istud cognominis, eo quòd Jupiter Bacchi Sabazii parens censeretur. A Sponio non multùm discrepat Alb. Rubenius, cui visum est Jovem ideo Sabazium appellatum, quia ejus sacra cum Orgiis Bacchi una peragerentur [a].

Frequens est inter vetera eruditae antiquitatis vestigia, duo numina in unum coalescentia animadvertere, seu quod eòdem recidit, unum numen plurium nominibus insignitum, singulaque Divinitatis attributa in totidem Deos diversis sub denominationibus conversa, et ad unum tamen Deum relata. Usque adeo verum est Dei unius Optimi, Maximi ideam hominibus vel ab ipsa natura insitam semper fuisse, Deorumque pluralitatem, eorum esse nullitatem [b]. Priscos apud autores Saturnus idem ac Sol, Mars idem ac Bacchus, Sol idem ac Jupiter, Apollo idem ac Bacchus, Jupiter idem ac Serapis, aut etiam Juno, Diana eadem quae Ops. Plura dabunt lapides antiqui.

I.

VESTAE DIANAE DICTAE
P. TVRPILIVS POLILAVS. &c.

E Latio veteri Emin. et Erud. Card. Corradini, Tom. 1. p. 383.

I I.

I. O. M. SARAPIDI
PRO SALVTE IMP. L. SEPT. SEVERI. &c.

Lips. CXLVII.

I I I.

DEAE NEMESI
SIVE FORTVNAE

Grut. LXXX.

Quod in adductis hisce marmoribus, in illis etiam ubi Jovis

[a] In Numm. Aug. *Asia recepta.* [b] Athanas. contra Idola.

Sabazii mentio ; factum quoque dicere quid vetat, Sabazium scilicet Bacchum, et Sabazium Jovem a rudioribus tanquam totidem distincta numina, ab oculatioribus verò numen unum atque idem habitum? Etenim Jupiter et Bacchus idem si sint cum Sole, sive Apolline, Jovem et Bacchum idem quoque esse inter se omnino necesse est. Identitatem, ut aiunt, Jovis cum Sole demonstrat Macrobius integro toto capite XXIII. Lib. I. Saturn. In hanc sententiam multa eruditè, ac pro suo more disserit Alexander [a]. Quamvis Bacchum inter et Apollinem eodem modo conveniat, uti videbitur, dum de Cretensium Cistophoris, non omittenda tamen tabula Mithriaca Gruteri XXXIIII. et Philippi a Turre [b], ex qua Mithram, seu Solem appellatum quoque Sabazium fuisse docemur. In eo lapide exsculpta prostant ea verba: DEO SOLI INVICTO MITHRAE NAMA SEBESIO, quorum enodationem dabit Macrobius: *In Thracia eundem haberi Solem atque Liberum accepimus, quem Sebadium nuncupantes magnifica religione celebrant.* Tabula altera e Justinianaeo Musaeo Mithram exhibet uvas dextrâ praetentantem. Et hoc vel uno argumento demonstratur invictè Mithram Sebezium alium non esse, quàm Bacchus Sabazius.

Aristides dicit etiam alios se audivisse dicentes eundem esse Jovem cum Baccho [c]. His omnibus calculum nostrum adjicere juvat ex alio Gruteri lapide Neapolitano [d], in quo tamen, monente Reynesio [e], littera una fallit.

T. FLAVIVS ANTI
PATER VNA
CVM FLAVIA AR
TEMISIA VXORE
IOVI EIAZIO VO
TVM LIBENS SOLVIT.

Bacchum Jovem, seu potiùs Bacchum Sabazium hic nemo non

(a) Tabul. Eliac. (b) Monum. vet. Antii, pag. 161. (c) In Bacchum.
(d) XXI. 2. (e) Inscript. pag. 132.

non agnoscat. Eyasius enim, aut Evazius, est ἀπὸ τῶ εὐάζειν, quod idem est ac σαβάζειν, id est, βακχεύειν. Ovidio [a] Evan dicitur Bacchus, et Virgilio Maroni [b] Evantes Baccharum, seu Maenadum chorus.

In partes nostras abit Firmicus ipse, adeo nobis non contradicit, dum scribit: Sabazium colentes Jovem, anguem, cùm initiantur, per sinum ducunt (c). Quibus profectò verbis non intelligendus venit Jupiter unus a Baccho distinctus, sed Bacchus Jupiter, Bacchus Sabazius, cujus, Arnobio teste, Sabaziorum in mysteriis draco plura in volumina contractus adhibebatur ad factorum memoriam, et in argumentum turpitudinis. Factum illud, et turpitudinem ad genus Bacchi Sabazii pertinere, multo ante praemonuerat Diodorus.

Nodum solvit Orpheus, cui unus Jupiter, unus Sol, unus Bacchus qui Deus in omnibus est.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος
Εἷς Θεὸς ἐν πάντεσσι [d].

Adeo ut divinitas ipsa, juxta Orpheum, unius Bacchi propria sit. Quod usque adeo verum est, ut qui ejus Theologiam altiùs introspexerant Platonici, observaverint ab eo singulis planetis regendis Bacchum fuisse praefectum sub diversis cognominibus, speciatim autem Jovis praesidem Bacchum Sabazium. Hinc promptum est arguere, cur Bacchus appellatus sit Jupiter Sabazius.

Varia Sabazii nominis lectio non habet quod negotium facessat. Promiscuè Σαβάδιος, et Σαβάζιος dicitur, quia, ut in Cratilo monet Plato, Ζ. et Δ. μεταστρέφουσι, seu convertuntur. In membranis Σεβάδιος, et Σαβάτιος quoque saepiùs occurrit, quod monitum volui.

Asiaticorum propria fuisse Sabazia evincit Tullius [e], eaque instituta ab ipso Baccho rege, quem alienum non esse ab eo qui Sabazius, Commentatores dijudicant. Annotavit et Aristophanis Scholiastes Σαβάζιον a Phrygibus Asiae populis cultum esse, apud quos nimirum ante regnaverat [f], et

(a) Metam. IV. (b) Aeneid. VI. (c) Loco cit. (d) Ex Justino Martyre, ad Gentes. (e) De Nat. Deor. Lib. III. (f) In Avibus.

quidem jure victoriae, quoniam de Asia triumphasse dicitur [a]. Alterum Bacchi triumphum de Lydia memorat Lucianus in Junone et Jove: unde crediderim Bacchum Lydium fuisse appellatum apud Plutarchum et alios. Non alia quoque de causa civitatum Jonicarum imagines praelatas in Ptolemaei Dionysiaca pompa legeris. Saepius autem accidit, ut populi reges suos divinis honoribus, postquam excesserant e vivis, prosequerentur. Strabo de Sabaziis agens [b], ait a Phrygibus in Thraciam deducentibus coloniam translata fuisse ea sacra. Hinc Phavorino: Sabazium Thraces Dionysium vocant, et Σαβοὺς ejus sacerdotes; Asiaticis nimirum Phrygibus Thraciam incolentibus domesticos usque mores, et patria sacra retinentibus. Thraciam Asiaticis coloniis saepe frequentatam exinde quoque patet, quod Jones in Thracia fuisse moneat Stephanus [c]. Non audiendi igitur, qui Sabazium unius Thraciae Deum faciunt, eumque localem, quales in nummis Jupiter Cantaber, Philius, Aeraeus; Hercules Deusoniensis, Macusanus; Diana Persica &c., imo propriis suis armis debellari possunt, quandoquidem Sabazii nomen Baccho inditum volunt a Sabis Thraciae populis, et Phrygiâ dialecto Σαβάζιον dicentibus. Σαϐοὶ, seu nominis hujusce gens in Thracia nulla unquam audita est; quae tamen si fuerit, e Phrygia sua dialecto Prygia colonia, aut Phrygiae coloniae in Thraciam deductae propago arguenda.

V I I.

Cistophoros Sabaziorum occasione signatos fuisse.

Cistophoros itaque inter Sabaziorum solemnia, annuaque eorum occasione signatos nemo non dixerit, qui memorata superiùs a nobis animo relegerit. Quae multa paucis contrahenda videntur. Non potest enim explicari Cistophorus, nisi de significatione expressarum in eo figurarum, cùm nulla alia supersit ratio explicandi rem significativam. Figurae autem in

(a) Val. Maxim. Lib. III. cap. VI. (b) Lib. X. (c) voce Ἀπολλωνία.

Cistophoro expreſsae, Bacchica, ut vidimus, ſignificant Orgia, ideoque demonstrant Cistophorum explicari non poſse nisi de Orgiis Bacchi, quae cùm ab Asiaticis, apud quos conflatus est nummus noster, Sabazia fuerint appellata, de Sabaziis unis explicari poſse Cistophorum fateri neceſse est: et hoc nobis erat probandum.

Nec alia de causa, vel occasione ſignatos Cistophoros ſuadent quoque vel ipsi nummi peculiares ac proprii unarumquarumque civitatum Asiae. (Liceat eo loci argumento, ut aïunt, negante uti.) Eorum ne unum quidem reperias, quocum Cistophori conveniant. Ex innumeris prope, aliquot in medium proferemus, eosque nondum vulgatos, adeo non ad vulgatos hactenus provocare veremur, et ab illis ne nostra ſententia labefactetur.

Caput muliebre ſinistrorsùm conversum.)(ΑΔΡΑΜΥΤΤΗΝΩΝ. *Mysiae.* Pilei Dioscurorum astris insignes, intermedio copiae cornu. Nummus ex aere minimo, olim apud D. Guerin Maſsiliensem.

Galeato capite, ſinistrorsùm.)(ΑΛΥαττήνων. *Bithyniae.* Lyra. Ex aere tertiae formae apud Ill. D. Lebret Gallo-provinciae Proregem.

ΖΕΥϹ ϹΤΡΑΤΗΓΟϹ. Diademato Jovis capite, ſinistr.)(ΑΜΑϹΤΡΙΑΝΩΝ. *Paphlagoniae.* Aquila expansis alis fulmini instat, ſinistrorsùm, rostro dextrorsùm converso. Ex aere tertio, ibidem.

ΔΗΜΟϹ. Cap. laureatum, ſinistr.)(ΒΑΡΓΑϹΗΝΩΝ. *Cariae* Fortuna stolata stat a fronte; dextrâ cornucopiae tenet, laevâ navis gubernaculum. Ex aere tertio in gaza Lebretiana.

Jovis laureatum caput, ſinistr.)(ΓΑΖΙΟΥΡΩΝ. *Cappadociae.* Aquila fulmini instat, ſinistrorsùm conversa. Ex aere primi moduli ibidem.

Caput Bacchi pampinis redimitum, cum thyrso ſuper humeros, ſinistrorsùm.)(ΔΙΟΝΥϹΟΠΟΛΕΩΣ. (*Phrygiae.*) Bacchus muliebri habitu stat dextrorsùm, dextrâ botrum tenet, laevâ thyrsum; pro pedibus panthera. Ex aere mediocri apud D. Lebret.

ΙΕΡΑ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. Caput imberbe nudum, ſiniſtr.)(ΘΕΑ ΡΩ. ΕΡΜΟΚΑΠΗΛιτῶν. *Lydiae.* Caput turritum, ſiniſtr. Ex aere tertio ibidem.

ΕΥΜΕΝΕΩΝ. *Cariae.* Caput Serapidis cum modio, ſiniſtr.)(ΓΛΑΥΚΟϹ. Fluvius imberbis decumbens dextrors; dextrâ tres ſpicas praetendit; laevâ urnae aquas vomenti innixâ arundinem tenet. Nummum hunc ex aere ſecundo, allatum Oriente vidi Maſsiliae.

Laureato Jovis capite.)(ΘΕΜΙϹΩΝΙΩΝ. *Phrygiae* Figura stans, dextrâ pateram. Ex aere tertio, e ſchedis D. Guerin.

Caput muliebre, ſiniſtr.)(ΘΥΑΤΗΡΕΙΝΩΝ. *Lydiae.* Securis. Eſt ex aere parvo in gaza Lebretiana.

ΛΑΙΡΒΗΝΟϹ. Caput Appollinis coronâ radiatâ insigne, ſiniſtrorsùm.)(ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Phrygiae.* Apollo nudus stat dextrorsùm; laevâ lyram tenet. Ex aere mediocri nummum Oriente allatum vidi quoque Maſsiliae.

Caper dextrorsùm stans, capite ſiniſtrorsùm converso palmitem vitigeneum depaſcitur.)(ΚΕΛΕΝδεριτων. *Ciliciae.* Figura virilis nuda insidet equo dextrorsùm currenti. Argenteus nummus maximi moduli in gaza Lebretiana.

ΔΗΜΟϹ. Caput nudum cum lanugine, ſiniſtr.)(ΕΠ. ΜΟΥ. ΚΥΔΡΑΙΟΥ ΝΕΩ. ΑΡ. ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Phrygiae.* Jupiter ſeminudus ſedet dextrorsùm; dextrâ pateram tenet, laevâ innititur hastae. Ex aere mediocri ibidem.

Apollinis laureato capite, ſiniſtr.)(ΛΥΚΙΩΝ ΜΑ. *Lyciae.* Lyra; dextro nummi latere, acrostolium; in area quadrangulari Argenteus quinarii formâ apud D. Cary Maſsiliensem.

Herculis capite nudo dextrorsùm converso.)(ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΦΟΚ. ΜΑΙΟΝ..Ν. Figura muliebris ſuccinctâ veste graditur ſiniſtrorsùm, dextrâ pectori compositâ, laevâ clavam Herculeam gestat ſuper humerum. Ex aere mediocri in gaza Lebretiana.

Laureato, et barbato ſenili capite ſiniſtrorsùm.)(ΝΙΚΑΕΩΝ. *Joniae.* Serpens baculo implicitus. Ex aere tertio apud Ill. D. Lebret.

Caput Dei Luni pileo Phrygio coronâ laureâ ornato, cum Luna

luna falcata ad humeros, sinistrorsùm.)(ΝΥϹΑΕΩΝ. *Cariae.* In corona laurea. Ex aere tertio ibidem.

Tigris sinistr. conversa, laevo pede thyrsum gerit super humeros.)(ΟΡΘΩϹΙΕΩΝ. *Cariae.* Caput Bacchi hederâ redimitum, sinistrorsùm. Ex aere tertio ibidem.

Muliebri capite sinistrorsùm converso.)(ΠΡΙΑΝΕΩΝ. *Joniae.* Palma arbor. Argenteus drachmae pondo, ibidem.

Laureato Apollinis capite, sinistrors.)(ΠΡΟΥϹΙΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟϹ ΘΑΛΑϹϹ... [*Bithyniae*] Tripus. Ex aere tertio apud D. Abbatem Boule Massiliae.

ΕΠΙ ΑΤΤΙΚΟΥ ΑΡΧ. Caput Serapidis modio insigne, ad humeros togatos sinistrors.)(ϹΑΙΤΤΗΝΩΝ. *Lydiae.* Figura muliebris stat; dextrâ sistrum tenet, laevâ hydriam. Ex aere tertio apud D. Cary.

Luctatores duo recurvi manibus implicitis decertant, cum littera Κ. intermedia.)(ΣΕΛΓΕΩΝ. *Pisidiae.* Figura muliebris stolata stat sinistrorsùm; dextrâ elatâ hastam vibrat, laevâ protensâ. Sinistro margine crus triquetrum et clava Herculea. Ex argento maximi moduli apud Ill. D. Thomassin de Mazaugues in supremo Gallo-provinciae Senatu Praesidem.

Solis radiato capite sinistrorsùm; retro, monogramma conflatum e litteris ΗΡ.)(ΣΟΛΕΩΝ. *Ciliciae.* Pallas galeato capite sedet dextrorsùm; dextrâ victoriolam sustinet, laevâ clypeo innixâ. Ex aere mediocri in gaza Lebretiana.

ΤΕΡΜΗϹϹΕΩΝ. *Pisidiae.* Caput Jovis barbatum, laureatum, sinistrorsùm: in ima parte, clypeus rotundus.)(ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. Fortuna stolata cum cippo in capite stat dextrors; dextrâ navis gubernaculum tenet, laevâ cornucopiae. Ex aere magno ibidem.

ΙΕΡΟϹ ΔΗΜΟϹ. Caput imberbe laureatum ad humeros togatos sinistros.)(ΕΠΙ Γ. ΑΤΑ. ΤΑΝΤΙ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Lydiae.* Fortuna stolata stat dextrorsùm; dextrâ orbem gubernaculo navis regit, laevâ cornucopiae tenet. Ex aere magno apud D. Cary.

Capita duo jugata, spicis coronata.)(ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. *Lydiae.* Pilei Dioscurorum astris insignes, cum intermediis litteris implicitis ΝΚ. Ex aere tertio, e schedis D. Guerin.

In omnibus et ſingulis hisce numiſmatis, nihil commune eſt, quod ad plura derivari poſsit oppida. Quidquid in illis eſt, id totum ſpectat ad propriam et ſingularem uniuscujusque civitatis pietatem, ſitum, foedera, mores, privilegia, hiſtoriam. Ex qua animadverſione hoc ſponte cuilibet colligendum venit: nummi ejusdem formae in diverſis diverſarum provinciarum civitatibus ſignati, ex occaſione duntaxat ritûs alicujus communis omnibus earum provinciarum civitatibus potuerunt fabricari. Argumentum aliud liberas plerumque inter civitates, et nullis mutuae ſocietatis legibus connexas fruſtra quaeſieris. Itaque Ciſtophori, qui omnes ejusdem ſunt formae, et Bacchicae alicujus pompae referunt inſignia, cùm in diverſis civitatibus Aſiaticarum provinciarum ſignati fuerint, ſignari potuerunt ex occaſione tantùm communium Aſiaticis civitatibus Sabaziorum. Illa quippe ſolemnia apparatu quàm maximo, eoque publicâ majeſtate, et aeternis monumentis non inferiore celebranda fuerunt ab Aſiaticis, qui ſuos inter reges Bacchum annumerabant, eundemque Sabaziorum inſtitutorem, et plurium civitatum ſuarum conditorem. Nec imparibus feriis novimus id numen affectum a populis aliis, quorum in illud pietas tantis momentis non accendebatur. Lavinii totus menſis Baccho ſacer erat. Alterna Bacchi feſta alternis annis noctu peragebantur in Parnaſſo Boeotiae monte. Trieterica etiam tertio quoque anno fiebant ad Callirhoem, ubi Bacchus ipſe ea dicitur inſtituiſſe in memoriam expeditionis Indicae, quae triennium totum ſibi depopoſcerat. Alia celebrabantur trieterica apud Cithaerontem. Brauroniis Orgiis X-viros τὰς ἱεροποιοὺς tradit Pollux mactaſſe hoſtias quinquennes, unam Deli, aliam Braurone. Plurium quandoque dierum erant Orgia. Ex Demophoontis inſtituto Antheſteria trium; eorum primo, qui πιθοίγια, dolia aperiebantur, et vino novo praeguſtato, peractisque ſacris, omnibus etiam ſervis largè bibendi ampla facultas. Altero die, qui χόες dicebatur ex eo quòd Baccho τῷ χοοπότῃ ſacer erat, certamen bibendi per praeconem ad tubae ſonitum indicebatur. Victoris uter vino plenus, et corona praemium Lenaeis agon ſacer, cui peregrinis intereſſe nefas: argumentum ſanè ingens.

celebritatis illius, cum detentis civibus Dionysiacorum ludorum apparatu et pompâ, timendi locus erat ne imbellem urbem hostes invaderent. Ascoliis, et Cythrois Poëtae quatuor dramatibus certabant inter se; victor civitate donabatur ex lege Lycurgi exolescentem hunc certandi morem revocantis. Dramatum illorum quae supersunt relliquiae, Orgiorum celebritatem aeternùm commendaturae sunt. Tales sunt, ut de caeteris sileam, pleraeque omnes Aristophanis comoediae. Quid plura? cùm feriarum Dionysiacarum intervallis distinguerentur tempora, quae postea per Olympiades annumerari coeperunt. Hesychio: *ἔθος ἦν λέγειν τὰ ἔτη τὸν ὑποπίπτοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων*; quod tamen omnino non exoleverat Aristophanis aetate. Anum bibulam irrídet ille, et ejus filiae ventriculosae, triumque congiorum capaci annos computat per choas, vini scilicet mensuram ingentem [a]

Πόσ' ἔτη δὲ γέγονε; τρεῖς χόας, ἢ τέτταρας;

Quot annos nata est? tres choas, an quatuor?

Ab Anthesteriis Graeci mensem suum *Ἀνθεσθεριῶνα* denominarunt. Pluribus in locis pecuniarum solutio cadebat in Orgia. Apud Scholiast. Aristoph. legitur moris fuisse, ut per eos dies Atheniensibus tributum socii penderent: *Διονυσίων ἑορτὴ ἐν τῷ ἔαρι ἐπιτελεῖται, ἐν ᾧ ἔφερον τοὺς φόρους οἱ σύμμαχοι.*

VIII.

Sub quibus Magistratibus signati fuerint Cistophori.

Inter Sabaziorum solemnia cùm signati fuerint Cistophori, signatos eos quoque necesse est illorum Prytanum auspiciis, quorum nomina, ipsamque adeo supremam dignitatem hi nummi referunt. Et verò temeritatis in suspicionem venire nequaquam reformidaverimus, si negaverimus aliam iniri posse rationem interpretandorum nominum, aut litterarum, et monogrammatis ΠΡ. inscriptorum Cistophoris. Commodioris

[a] In Thermoph.

alifis, atque adeo fimplicioris fententiae autor, magnus nobis futurus est Apollo.

Prytaneia magistratum olim fonabat, penes quem tam facrorum quàm civilium rerum regimen. Ubi namque regium obtinebat imperium, ibi Rex idem qui Pontifex Maximus, adeo ut fumma facerdotia cum fummis antiquitùs femper connexa fuerint imperiis. Athenis Rex praeerat mysteriis, Lenaeis festis, et agonibus quae ad lampada celebrabantur (a). Apud Lacedaemonios Rex, propter divinorum curam facerdos, propter bellica munia imperator (b). Virgilio quoque:

Rex Anius, rex idem hominum, Phoebique facerdos.

Unde reges Πρυτάνεις appellati funt, qualis ille Bosphori Cimmerici, de quo plura Diodorus (c). Inter Lacedaemoniorum reges Prytanis Euripontis filius haud femel apud Paufaniam audit (d), quemadmodum Caïus Caesar Augustus τῶν ὅλων πρύτανις, *omnium Dominus*, apud Theodoretum (e). Singulis etiam, aut primariis faltem in civitatibus, adeoque in rebuspublicis, qui urbi, aut reipublicae, religioni quoque et facris praeerat Prytanis. Noti funt qui eo fub nomine post reges exactos Corinthiis imperarunt; quod Athenis etiam accidifse negaverit nemo, qui Archontis et Prytanis promiscuam denominationem olim fuifse ex Aristotele meminerit. Mitto Rhodiorum Prytanim a Livio memoratum (f), eorumque Prytaneiam Alexandro Magno ab ipsis oblatam (g), ut ostendam Prytanes illos non Vestae unius, quod Cl. Spanhemio et Vandalio visum est, neque unius, aut alterius numinis addictos fuifse facris, fed ea duntaxat curafse quae publica, quae maxima, et totius regni, reipulicae, aut civitatis nomine peragenda. Rem evincit Aristoteles, qui de Prytanis pontificio munere difserens, " haec habet: Huic proxima cura ea „est, quae ad facrificia publica fpectat: ea dico, quae non „facerdotibus a lege demandantur, fed iis qui hunc [Pryta-„neïas] honorem a communi civitatis foco, et totius urbis lare

[a] Pollux. [b] Xenoph. [c] Lib. XX. [d] In Corinth. [e] Hist. Eccl. Lib. I. [f] Lib. XLII. [g] Appian. Bell. civil. Lib. IV.

„ lare consequitur „. Sancitum a Licurgo fuerat, ut Lacedaemoniorum Prytanis pro civitatis ſalute publica ſacrificia ſacrificaret [a]. Ad Atheniensium Prytanem patriorum quoque ſacrificiorum administratio ſpectabat [b], quemadmodum et in Romanis civitatibus Pontificem Maximum, qui erat A SACRIS PVBLICIS POPVLI ROMANI QVIRITIVM. Inter patria ſacra Prytanibus commiſsa, annumerandi ſunt festi Dies Deorum tutelarium uniuscujusque civitatis proprii, agones, ſeu certamina, pompae quaedam celebriores. Priorum in ſerie occurrunt Deae Nemeses [c], Vesta [d], Mater Deûm [e], Diana Ephesia, Aesculapius [f]. Bacchus [g], quibus Prytanes certum est litaſſe, adeo non Vestae unius, ut diximus, ſacris illi praeerant.

Si conjecturis aliquantulùm indulgere liceat, non alienus ſum qui opiner, 1°. Pannionium, caeteraque id genus communia Asiae, Lyciae, Bithyniae, Cappadociae, Galatiae, Phrygiae &c. de quibus ſaepe nummi, unis duntaxat constare Prytanibus, ſeu, quod idem est, ad hujusmodi provincialia comitia ſingularum ſuffragantium civitatum Prytanes delegari. Conjecturae locum dedit Georgii Wheleri vetus lapis in quo Mycalensium cum Lebediensium Prytane contentio, [h] et Aristides, qui comitia Prytanea memorat [i].

2°. Prytanem concilii principem aliquando Pontificis Maximi titulo designatum fuiſse. Habemus in nummis Sabinum Eutychem Asiatici concilii Pontificem ſupremum: ΣΑ. ΕΥΤΥΧΟΥΣ. ΑΡΧ. ΙΓ. ΠΟΛ. In veteri lapide apud Whelerum [k], legitur M. Aurelius Diadochus ſummus Pontifex Asiatici concilii princeps: Ἀρχιερεὺς τῆς Ἀσίας, καὶ βουλάρχος. Aliquando Asiarchae titulus proprius videtur fuiſse Prytanis illius, qui totius conventûs praeses erat: unde ut ſuam denotaret in civitate propria Prytaneiam, Ἀρχιερεὸς retinebat ſaepius nomen, cui illud Ἀσιάρχου ſubrogabat, ut ſuum denotaret in comitiis primatum. Nam ſi Vandalio [l] credatur, qui in ejusdem

[a] Xenoph. [b] Pollux. [c] Marmora Oxon. pag. 148. part. I.
[d] Aeſchyl. ſuppl. v. 375. &c. [e] Theophrast. de inepta laudis cupidine.
[f] Nummus Cumaeorum infra laudandus. [g] Pollux. [h] pag. 273.
[i] Serm. ſacr. p. 608. [k] pag. 211. [l] De Pontif. Graec. cap. xii.

civitatis hoc aut illo nummo Ἀρχιερεὺς appellatur, in alio rursus Asiarchae nomine gaudet. Tranquillinae nummum appellat ille, in quo Sulpitius Hermophilus Asiarcha dicitur: ΕΠΙ ϹΟΤΑ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑϹΙΑΡΧ. ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ Γ ΝΕΩΚΟΡΩΝ, quem Archierea nummi alii testantur: ΕΠΙ ϹΟΤΑΠ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑΡΧ. ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΧΡΥϹΑΝΤΙΝΑ. Nolim tamen huic exemplo fides omnino habeatur, cùm in omnibus hujusmodi, qui in nostras manus pervenere nummi, semper legerim ΕΠΙ ϹΟΥΠ. ΕΡΜΟΦΙΛΟΥ ΑΡΧ. &c. Aliquando etiam nomen utrumque sibi adsciscebat, seu quòd eadem tunc temporis dignitas fuerit in comitiis cum supremi Pontificis dignitate, seu quòd in uno eodemque tunc convenirent duo munera, quae priùs inter plures divisa fuissent. In nummo veteri Antonini Pii: ΚΟΙΝΟΝ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙΟΝ ΚΛ. ΦΡΟΝΙΜΩΝΟϹ ΑϹΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΙΓ. ΠΟΛΕΩΝ.

3°. In illis totius alicujus communitatis conventibus sacra Baccho fieri solebant. Et hoc argui utcumque potest ex aliquot nummis illorum conciliorum occasione signatis, et ΚΟΙΝΑ sacra praeferentibus. Tales sunt sub Trajano, et M. Aurelio Antonino signati, cum apposita epigraphe: ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. ΚΟΙΝΟΝ ΛΕΣΒΙΩΝ. Exhibetur in illis Bacchus, comitiorum illorum videlicet Deus tutelaris.

4°. Habita saltem aliquando fuisse ea comitia ad Dionysia majori cum apparatu celebranda suadet Pausanias in Achaïcis: *οἱ δὲ αὐτὸν [Διονύσον] ἐς τὰ μάλιστα θεραπεύοντες εἰσιν ἄνδρες οὓς ἂν ἐκ πάντων ὁ δῆμος προέληται κατ᾽ ἀξίωμα.* Strabo Lib. XIV. de Lebedo civitate agens, dicit in ea solemnes celebrari conventus, et annua certamina in honorem Bacchi: *ἐν ᾗ πανήγυρίς τε καὶ ἀγῶνες κατ᾽ ἔτος συντελοῦνται τῷ Διονύσῳ.* Quid praeterea sibi volunt illi civitatum Asiaticarum X-viri ad peragenda Dionysiorum sacra Braurone quinto quoque anno constituti [a]? Quibus ritè perpensis, nihil obstabit quominus a Prytanibus, et medios inter Asiaticorum conventus celebrata Sabazia fuerint, aut habiti illi conventus ad ea celebranda. Etenim Dionysio-

[a] Pollux Lib. VIII. cap. 1x.

rum, adeoque ludorum in Dionysiis edendorum curam ad Prytanes pertinuiſse dubitandum non relinquit Aristoteles[a]. De Lenaeis festis et certaminibus Dionysiacis ad lampada fieri ſolitis procurante Prytane jam memoratum est. Liberi Melanaegidis annuos musicos ludos, et praemia constituta [b], caeterosque id genus agones tam in Graecis et Asiaticis civitatibus, quàm eorum comitiis edi ſolitos referre ſupersedeo. Unum est tamen obiter animadvertendum, Dionysiacos nempe ludos pecuniâ quondam publicâ editos, privatâ tandem Prytanum, ſeu Pontificum Maximorum apparatos fuiſse. Sub M. Antonino Severi F. Imperatore L. Septimus Tryphon dicitur ſumptibus propriis primus tragicos, comicos et musicos celebraſse ludos in honorem Bacchi, cujus erat ſupremus Pontifex [c].

5°. Archontis (quod praemitti oportuerat) et Prytanis titulum unum idemque munus designaſse. Autorem habemus eundem Aristotelem, qui recensitis Prytanum muniis, eos dicit variè a variis appellari, modò Archontas, modò Pontifices Maximos, modò Prytanes. Ad rem nostram accommodatior est Antonini Severi F. nummus Anchialae in Cilicia ſignatus, quàm ut prematur ſilentio. Sic ſe habet: ΕΠ ΑΡΧ. ΠΡΥΤΑΝΕ. ΕΠΙΚΡΑΤΟΥ Β. ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. Sive legatur ΕΠ, ΑΡΧοντος cum Vandalio [d], ſeu ΕΠ, ΑΡΧιερέως cum Harduino [e], res eòdem recidit. Ex hac enim ultima Harduini interpretatione non minùs quàm ex aliis quoque momentis facilè evincitur ſacerdotum principem Pontificem Maximum eundem cum Prytane fuiſse. Ejusdem est generis, ſed non minoris momenti aereus alter nummus maximi moduli apud Vaillantium, ſub Sept. Severo ſignatus cum hac epigraphe mutila: ΕΠ. ΑΡΧ. Μ. ΠΡΥΤΑΝΕΟΥ...... ΟΥ ΜΕΙΛΗϹΙΩΝ. Apolline rupibus insidente. Legas in eo velim: ΕΠ. ΑΡΧ. ΚΑΙ ΠΡΥ-ΤΑΝΕΟϹ &c. In priori nummo de ſequentis vocis lectione non convenit Harduinum inter et Spanhemium. Ille legit ΠΡΥΤΑΝΕ, ſeu Πρυτάνεως dignitatem, iste autem ΠΡΥΤΑΝΕΙ, quod

[a] Lib. VII. Politicor. [b] Pausan. in Corint. [c] Vetus lapis apud Spon. Miscel. pag. 369. [d] Diſsert. III. p. 396. [e] Numm. ill. Pop. et Urb.

Πρυτανεῖκου, ſeu Prytanici cujusdam Epicratis nomen interpretatur. Pro Harduino standum; quamvis epigraphe nummi ΠΡΥΤΑΝΕΙ, referret, Jonicè πρύτανειος; genitivo casu, legere ne dubites. Sic in aliis nummis ΑΓΑΘΟΚΕΙΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, et ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

Athenis ſaltem, Senatus idem antiquitùs ac Prytaneum, idemque Senatûs et reipublicae princeps, qui Prytanis. Attica ſemper oppidatim incolebatur, Senatum [Prytanea] et magistratus habens. Ad quae Thucididis verba Senatum et Prytaneum inter ſe confundentia Scholiastes ejus monuit rerum omnium administrationem pénes Prytanes eſse [a]. Unde ſuppositâ etiam gemini Senatûs per Theſeum institutione, meritò colligas ſupremo ſemper Senatui Prytanim praefuiſse. Legum custos et arbiter constitutus a Theseo ſupremus ille Senatus, earumque exemplar ἀρχέτυπον in Prytaneo reconditum [b]. Socrates a Prytane judice ad ebibendum propinatum ſibi venenum damnatus est. Nicias in fine orationis, quâ expeditionem in Siciliam diſsuadet, verba convertit ad Prytanem Senatûs principem, tanquam ad ſupremum rei et ſalutis publicae provisorem. Prytanis etiam erat cognoscere de cauſis religionis, de ritibus ſacris, de pompis feriarum ordinandis &c. [c]. Extat etiamnum lex Solonis eò pertinens apud Demosthenem [d].

Senatûs principi proprium Prytanis nomen ad caeteros quoque pervenit Senatores, quos identidem Prytanes reperias appellatos. Sed inter utrosque hoc discriminis tunc inerat, quod princeps Senatûs ἐπώνυμος Πρύτανις, aut πρῶτος Πρύτανις diceretur. ΟΝΗΣΙΜΟΝ ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΠΡΩΤΟΝ refert marmor vetus Wheleri, et ΑΥΛΟΝ ΚΛΟΔΙΟΝ ΠΡΥΤΑΝΙΝ ΕΠΩΝΥΜΟΝ lapis alter Sponii. Caeteris, quas innuimus, primi Prytanis praerogativis annumerandum est jus convocandi Senatum, adſeſsores ſibi adsciscendi, publicas causas referendi, Senatores ſententiam rogandi, civitatis, armamentarii, actorum claves custodiendi &c. [e].

Sunt

[a] Lib. II. [b] Plut. in Theseo. Aeschin. Suidas. [c] Pollux. [d] Κατὰ Μειδ. [e] Pollux Libanius, Harpocration.

Sunt qui volunt unius paulò plus mensis Prytaneiam stetiſse in uno eodemque homine apud Athenienses, qui Prytanes ſuos ſorte ſortiebantur. Nominibus decem tribuum in urnam dejectis, in aliam fabâ albâ unâ et novem nigris, ea tribus quae prima fabam albam tulerat, Senatui in prima Prytaneia praeerat, quae ſecundam ſecunda, et ſic deinceps. Rurſum tribus quaelibet eum qui Prytanem ageret ſortiebatur. Primae illius Prytaneiae meminit Antiphon: *πρυτανεύσας τὴν πρώτην Πρυτανείαν ἅπασαν.* ***Administrans primam Prytaneiam omnem.*** Prytaneia ſpatium erat triginta quinque dierum: quinque illi ſupra triginta dies decima pars erant anni Attici, qui cùm ad Lunae cursum ordinaretur, trecentis omnino quinquaginta quatuor diebus constabat. Semestrem apud Rhodios Prytanim innuit Polybius, ubi de Stratocle dicit litteras Lucretii Praetoris Romani Rhodum allatas fuiſse: *Στρατοκλέους Πρυτανεύοντος τὴν δευτέραν ἑξάμηνον.* Ejectis regibus ſuos Corinthii habuere Prytanes, ſed annuos, ad Cypseli tyrannidem usque [a]. Annuos quoque fuiſse Prytanes Asiaticos P. Cornelii Lentuli, et Ap. Claudii Pulchri ſubjicienda mox numismata ſuadent. Prytaneiam in Asia ab eodem ſaepiùs capeſsi potuiſse indicat allatus jam nummus Epicratis Archontis Prytanis iterùm. Fuerunt etiam Prytanes hereditario jure, adeoque totius vitae curriculo id muneris obeuntes, ut liquet e vetusto lapide apud Sponium [b]. Sed id contigiſse videtur tantùm ſub Caesaribus, a quibus perpetua Pritanitis, atque hereditaria impetrari debuit, cùm post oppreſsam Orientis libertatem, imminuta Prytanum munia, inter plures divisa, et ad nihilum prope detrusa fuerint. Ea est rerum humanarum conditio, ut diutiùs in eodem statu permanere nequeant. In Oxoniensi marmore [c], recenſentur Chersiphron Asiarcha, Teudanus Stephanophorus, Nymphidia Pontifex Maximus, Smaragdus et Claudianus ambo Prytanes. Verùm ſi Asiarcha, ſi Stephanophorus, ſi Pontifex Maximus a Prytane diverſus fuerit: ſi eadem in civitate duo Prytanes, de ſuprema Prytanis dignitate conclamatum tunc fuiſse omnino neceſse est. Namque vel

(a) Pausan. in Corinth. [b] Miscell. (c) Num XXVIII.

feminas, quibus in politico regimine, in Senatu, in comitiis nullus unquam apud Asiaticos veteres fuit locus. Prytanes tamen ſimul et Asiae Pontifices Maximas, et Stephanophoras, et Agonothetas loquitur etiamnum ſuperstes lapis vetus apud laudatum ſaepius Sponium. Dignitatis Pritaniticae unum habuiſse nomen videtur Prytanis ille hymnorum cantor, ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΥΜΝΩΔΟΣ, in alio Sponiano marmore.

Ex oppidorum civitatumque frequentia, quae Prytaneo ſuperbirent, adeoque proprios haberent Prytanes, intelligitur quàm latè Prytanis nomen et dignitas propagata fuerit. Ad earum civitatum amplificandam ſeriem a Cazaubono [*a*], et Spanhemio [*b*] acceptam veniunt Pergamus Mysiae, Laodicea, et Trallis Cariae, Apamea Phrygiae, Milectus Joniae, Anchiale Ciliciae, Nicomedia Bithyniae, quarum Prytanes in adductis, atque etiam adducendis earum nummis ſignantur. Unde mireris Spanhemium aſserentem vix in uno, alterove nummo expreſsam fuiſse Prytanum memoriam. Addendum postremò non qualescumque fuiſse Prytanis vestes, ſed proprias, quae ideo Πρυτανικαὶ dictae, easque albas. Prytanem candidâ veste amictum, et coronâ redimitum inducit Theophrastus ad populum peractis ſacris verba facientem [*c*]. Varia debuit Prytanis eſse, quae ſacerdotii insigne erat, corona, pro Deorum varietate; laurea, si Apollini ſacra peragerentur, hederacea Baccho, graminea Cereri &c. Itaque impreſsam Cistophoro ex hedera et botris coronam fuiſse in usu Prytani Sabazia celebranti, non temerè colligi poſse videtur. Depositâ coronâ, judicis partes agebat Prytanis, etiam ubi de impietate, et violata ſacrorum majestate dijudicandum ipsi erat [*d*].

Litterae igitur illae ΠΡΥΤ· monogrammatis in formam implicitae distinctas totidem in Litteras ΠΡΥΤ. resolvendae ſunt, quemadmodum resolutae videntur in his-ce Gallieni nummis ex aere apud Vaillantium, Spanhemium, Monterchium et Bandurium contemplandis. ΚΥΜΑΙΩΝ ΑΙΛ. ΕΡΜΙΑϹ ΠΡΥΤ. Rursùm: ΑΙΑ. ΕΡΜΙΑϹ ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙϹ, cum typo Dianae

[*a*] Animadv. in Athen. [*b*] Diſsert. de Vesta et Pryt. [*c*] in Μικροφιλοτ. Athen. Lib. IV. [*d*] Pollux.

Ephesinae, et in aliis ubi ΕΡΜΕΙΑC ΠΡΥΤ. ΚΥΜΑΙΟΙC, Neptuno stante. Accidit quod in altero ejusdem Cl. Croichetii Cistophoro littera A. immediatè subsequatur implicitas litteras ΠΡΥ, ita ut vocem unam cum illis componere, et inchoatum ΠΡΥΤΑνεως nomen referre dicenda sit. Cistophori, Alletiano caeteroquin similis, ectypon subjicimus.



Quoniam e distinctis litteris ΠΡΥΤ. in Gallieni nummo Aelius Hermias Prytanis arguitur, ex iisdem implicitis pariter arguendus Prytanis Menander ille, aut Menippus, Menecratesve, cujus inchoatum nomen ΜΕ. objicitur in eo Cistophoro, quem explanandum suscepimus. Similes alios qui ΜΟΣ. ΤΗ. ΙΕ. ΔΗ. ΝΗ. ΚΥ. ΚΑ. ΤΙΜΕ. praeferunt, eâdem quoque ratione ac methodo censemus interpretandos, atque legendum in illis ΜΟΣχίωνος, ΤΗμένου, ΙΕροκλέος, ΔΗμονίκου, ΝΗλέως, ΚΥησίου, ΚΑλλίνικου, ΤΙΜΕνου ΠΡΥΤάνεως. Quam rationem interpretandi initiales litteras propriorum nominum comprobant alii duo Cistophori e Musaeo Lebretiano, in quibus cum iisdem implicitis litteris, nomina tota quanta sunt uno tenore recitantur, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΠΡΥ. ΑΠΑ. et ΑΤΤΑΛΟΥ ΤΙΜΟ. ΠΡΥ. ΑΠΑ. *Apollonio Prytane Apamensium. Attalo Timothei filio Prytane Apamensium.*

Proconsulum, Propraetorumque Romanorum nomina referunt quoque eximiae raritatis Cistophori aliquot, eo loci non tacendi, cùm nostram tueantur de Prytanum imminuta dignitate sententiam. Ab antica parte nil discrepant a caeteris, qui compactam habent ex hedera et corymbis coronam, in cujus medio serpens prosilit e cista semiaperta. In postica verò, isti geminam complectuntur epigraphen, duplici idio-

mate, Romano et Graeco, conscriptam, cum ſerpentibus (ſi tamen unum, aut alterum excipias, quos ea de causa curabimus delineari) vannum obsidentibus. Hujusmodi est Seguinianus iste temerè expreſsus formâ longè majori archetypo ſuo.



Supremus in eo Cistophoro uterque appellatur Magistratus, rerum civilium, Proconsul; ſacrarum, Prytanis, quorum auspiciis, et autoritate celebrata fuere Sabazia. Adductam a Romanis, ubi Asiâ potiti ſunt, consuetudinem Cistophoros Proconsulari nomine inscribendi, eorum Cistophori ſuperstites declarant. Unde arguere licet Proconsules vindicato ſibi rerum civilium ſupremo jure, unam ſacrorum jurisdictionem Prytanibus reliquiſse. Et hanc ipsam quoque ſibi interdum arrogaſse Proconsules jurisdictionem, Prytanisque nomen et munia, facit ut ſuspicer Q. Caecilii Metelli Pii Cistophorus, in quo et Proconsulis unius, antiquato Graeco Prytane, mentio, et aquila Romana, geminique angues, totidem ſacrae civilisque autoritatis insignia.



Nil

Nil ea conjectura dubitationis fortè habitura est, si attendatur ad Tarquitii nummum sub Nerone signatum Nicomediae, qua in civitate Tarquitius sociatum Prytanis et Proconsulis magistratum gerebat. Ita enim legendus est nummus: Μ. ΤΑΡΚΥΤΙΤΙΟΥ ΠΡΥΤΑΝΕ Κ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ ΠΡΑΤΤΟΝΤΟΣ ΝΕΙΚ. *Marco Tarquitio Prytanem et Proconsulem agente Nicomediae.*

IX.

Ex diversis porro Proconsulùm, aut Propraetorum nominibus illis devenitur in cognitionem temporum ac locorum in quibus conflati sunt Cistophori. Quod ut clariùs pateat, appellatorum in Cistophoris Proconsulum seriem subjicere operae pretium est. *Quibus locis et temporibus signati Cistophori.*

Serpens e cista exilit, in medio coronae hederaceae, ut saepiùs dictum est.)(P. LENTVLVS IMPERATOR ΜΥΙΣΚΟΥ ΑΠΑ. Angues gemini vannum ambientes. E Thesauro Patini pag. 45.

In aliis similibus: P. LENTVLVS IMPERATOR ΑΤΤΑΛΟΥ ΒΙΑΝΟΡΟΣ ΑΠΑ. Harduin. in Plin. Tom. II. pag. 275. Edit. ult.

AP. PVLCHER AP. F. PROCOS. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΖΟΣΙΜΟΣ ΛΑΟ. Seguini Edit. ult. pag. 80.

PVLCHER IMP. ΗΡΑ. ΚΙΜΩΝΟΣ ΑΠΑ. Thes. Frideric. pag. 227.

M. TVLLI. IMP. ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ ΛΑΟ. Seguin. p. loco cit.

C. PVLCHER PROCOS. ΜΗΔΟΔΩΡΟΣ ΠΕ. Aspergillum, et Acrostolium. Thes. Britann. Tom. 2. pag. 159.

Q. METELLVS PIVS SCIPIO IMPER. ΠΕ. Aquila Romana inter geminos angues implicitos. Ibid.

Ciliciam tribus annis, U. C. DCXCVII. DCXCVIII,

O

DCCXVIIII. ſecundum Pighium, obtinuit P. Cornelius Lentulus Spinter Procos. Duobus tantùm postremis prorogati imperii annis ſignatos ejus fuiſse Cistophoros ex eo aſserimus, quòd cùm nullam bellicae virtutis laudem primo imperii ſui anno consecutus ſit Lentulus, ſed altero tantùm anno Imperator a militibus ſuis fuerit appellatus, priùs ſignari non potuerunt hi Cistophori, quorum uterque adjudicatâ Lentulo Imperatoriâ appellatione commendandus. Quibus ille cùm hostibus bellum geſserit, in incerto est; id unum rescitur, rebus in provincia bene gestis ſecundo imperii ſui anno Imperatorem ab exercitu proclamatum eſse, et illi, victoriae causâ, ſupplicationem Romae a Tullio Cicerone destinatam (a). Lentulo ſucceſsor datus est U. C. anno DCC. Ap. Claudius Ap. f. C. n. Pulcher Procos. (b), quem ſeriùs liquet in Ciliciam profectum, eo quòd provinciam capeſsere recusabat, donec locum haberet Curiata lex, quae viaticum ex publico ad provincias administrandas proficiſcentibus ſuppeditabat. Cùm in octavum fere mensem usquè, ſublatis propter auspicia, et Tribunorum interceſsionem comitiis, interregnum eo anno duraſset, nec leges ullae ferri potuiſsent, repulsae, et diuturnioris morae impatiens Appius, tandem ſine lege Curiata in provinciam abiit ſuis ſumptibus. Nihil itaque ab eo memoriâ dignum propter anni vertentis angustias patratum est in Cilicia, quò tamen eum appuliſse ante Sabazia neceſse est. Illis enim feriis praefuit Laodiceae, ut demonstrat Cistophorus eo anno, et Apollonio Zosimo Damocratis filio Prytane ſignatus. Hinc certò arguas circa mensem Βοηδρομιῶνα, vel Πυανεψιῶνα, Octobrem ſcilicet, aut Novembrem ſolita fuiſse celebrari Sabazia. Athenis eo quoque tempore, mense Boëdromione, magna Dionysii mysteria peragebantur (c). Subsequenti anno, U. C. DCCI. rebus feliciter gestis Appius Imperator appellatus, ſupplicationis non modò, ſed etiam triumphi in ſpem venit, quâ tamen excidit a P. Dolabella ambitûs, et majestatis accusatus (d). Neque id unum habèo evincere; namque

[a] Cic. Epist. famil. Lib. I. ad Lentul. [b] Idem Epist. II. Lib. III. ad Q. fratr. et Epist. XVI. Lib. IV. ad Attic. [c] Plutarc. in vita Demetrii. [d] Cic. Epist. Lib. III.

si Ciliciae duobus annis praefuerit Appius Pulcher, quoniam ejus Cistophori duobus hisce annis signati duorum Prytanum meminerint, annuos quoque fuisse in Asia Prytanes necesse est; quod ex appellatis quoque Lentuli Cistophoris pariter evincendum. Appii successor M. Tullius Cicero Procos. in Ciliciam cum imperio pervenit ad III. Kal. Sextiles U. C. anno DCCII. Ariobarzanem regem Cappadociae restituit, Eranam, Sepyram, et alia sex castella cepit, oppidumque Eleuthero-cilicum morosâ obsidione suam in potestatem redegit. Ea propter Imperator a militibus appellatus est, atque supplicatio Romae decreta (*a*).

Asiaticae quoque provinciae, seu Pergamenae praefuit C. Clodius Pulcher, U. C. annis DC XCVIII, et DC XCIX, ut è litteris Ciceronis ad Atticum Lib. IV. Epist. XV. evincitur. Praeturam obtinuerat anno DC XCVII. Namque, ut Dio Lib. XXXIX. refert, Cicero Milone comite, et assumptis aliquot Tribunis plebis in Capitolium ascenderat, ut leges et tabulas Clodii evelleret, atque auferret; sed e manibus ejus evulsas extorsit P. Clodius superveniens cum C. Clodio fratre Praetore. Successorem habuit Pulcher Q. Caecilium Metellum Pium Scipionem, si tamen Metello non successerat Pulcher ipse. Ex eo enim quod in suo Cistophoro Proconsulis appellatione non gaudeat Metellus, administrandam Asiam Propraetore habuisse videtur ante suum consulatum, qui incidit in U. C. annum DCCI. si verò supponatur eum C. Pulchri fuisse successorem, eum quoque U. C. annum DCC. in Asia egisse necesse est, ita ut absens, et e provincia consulatum petiisse, et obtinuisse dicendus sit, quod tamen paucis persuasum erit. Imperator jam dictus erat tum cùm in Asia degeret, ut ex ejus Cistophoro liquet. Hinc arguas Vaillantium (*b*), qui Metellum Imperatorem in Syria appellatum contendit. Syriam autem Proconsul obtinuit ille anno DCCIV. et in provinciam statim profectus est comite Pompeii Magni filio, ut pecunias, classem, et auxilia, quanta possent, compararent (*c*).

[*a*] Cic. Lib. IV. XV. et XVI. Epist. famil. [*b*] Famil. Rom. pag. 192.
[*c*] Plutarc. in Pomp. Cicero ad Attic.

Caeteros autem Cistophoros nullo Proconsulum Propraetorumve nomine inscriptos istis longe antiquiores, et ab Asiaticis nondum in potestatem Populi Romani redactis signatos docent Cistophori praelati in triumphis M. Acilii, L. Aemilii, L. Scipionis Asiatici, M. Fulvii, Cn. Manlii Vulsonis.

Nec minoris sunt momenti eadem Proconsulum, Propraetorumve nomina ad investigandam Cistophorûm originem, et, verbo sit venia, natale solum. Etenim eo ipso quod liqueat Ap. Pulchrum, et M. Tullium Proconsules Ciliciam obtinuisse, liquere quoque debet litteras illas ΛΑΟ, eorum Cistophoris impressas, de Laodicea Cariae, ut eâdem ratione alias istas ΑΠΑ. in Lentuli Cistophoris, de Apamea Phrygiae esse accipiendas. Ciliciense enim imperium, seu provincia Cilicia complectebatur Ciliciam ipsam, Mysiam, Cariam, Pamphyliam, Paphlagoniam, Lycaoniam, Prygiam majorem., et tres Dioeceses Laodiceam scilicet, Cabyram, et Apameam. Cùm non revocetur quoque in dubium C. Pulchrum Asiae Proconsule praefuisse, dubium etiam esse nequit Pergamum eo designari monogrammate ΠΕ. Asiaticae siquidem provinciae caput et metropolis Pergamus fuit, unde ipsa Pergamena Asia denominata est. Itaque vel istud unum monogramma quatuor conflatum litteris ΠΕΡΓ. inspicienti promptum erit arguere Q. Metellum Propraetore Asiam obtinuisse, et Alletianum Cistophorum, atque caeteros omnes idem monogramma referentes Pergami fuisse signatos. De litteris ΤΡΑΛ. obvio sensu Trallianorum Cistophorum superiùs appellatum indicantibus, non est quod agamus, cùm in eo nummo animadvertendum eo loci nihil occurrat, praeter oppidi nomen.

X.

De Ephesinorum Cistophoris. Parisiis, Ill. D. de Surbeck Helvetii Chiliarchae nummaria supellex tres reconditos habet Cistophoros, qui praestantiores inter hujusce gazae facilè annumerandi sunt. Ephesini ii sunt,

ſunt, atque numeralibus notis insignes; hinc ſua illis praestantia. Sic autem ſe habent:

Corona ex corymbis, et hederae foliis contexta: medium occupat cista, e qua ſerpens prosilit:)(Duo ſerpentes mutuis ſpiris impliciti vannum complectuntur. Dextro nummi latere ΕΦΕ, et Κ; laevo, caput ſcenicum, ſeu larva.

Corona eadem circa eamdem cistam.)(Duo quoque ſerpentes iidem qui ſupra; in vertice, fulmen; a dextris in margine nummi ΕΦΕ, et ΜΔ; a ſinistris taeda ardens.

Typus qui ſupra.)(Gemini ſerpentes iidem; in vertice, duo cornucopiae decuſsatim cum ſpica intermedia; dextro nummi latere ΕΦΕ, et ΞΖ; laevo, taeda accensa.

Epocham in hisce nummis oculatus nemo non videat. Nam littera Κ. in priori Cistophoro obsignata annum denotat vigesimum; ut et quadragesimum quartum litterae ΜΔ. in altero, et ſexagesimum ſeptimum aliae istae ΞΖ. in tertio. Ad Ephesinae istius epochae initium et caput perveniri poſse ne credideris hujuscemodi Cistophorûm ope; nil in illis est unde lux aliqua affulgeat.

Apud Patinum, Numm. Impp. pag. 241. visitur M. Aurelii nummus, et ex Patino apud Bergerum, Thes. Brandeburg. Tom. I. pag. 671.

ΑΤ. ΑΝΤΟΝ. . . . . . . Capite laureato ſinistrorsùm converso.)(ΕΦΕCΙΩΝ ΡΝ. Cervus ſinistrorsùm conversus stat. In eo tertii moduli aereo numismate Harduinus (Numm. Pop. et Urb. Edit. in 4°. pag. 164.) agnoscit centesimum et quinquagesimum annum post restitutam, quae terrae motu collapsa erat Ephesinorum civitatem. Plinio [a] *Maximus terrae memoriâ mortalium extitit terrae motus, Tiberii Caesaris principatu, XII. urbibus Asiae unâ nocte prostratis.* Asiaticae civitates illae restitutae ſunt a Tiberio Tribuniciam potestatem XXIIII. agente, ut liquet ex aereo primi moduli numismate apud D. Lebret, et in Musaeo Collegii Turnonensis Societatis Jesu.

TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVST. P.

[a] Lib. II. n°. LXXXVI.

M. TR. P. XXIIII: in area media S. C.)(CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. Laureato capite ſedet Tiberius dextrorsùm conversus, dextrâ pateram tenens; laevâ hastam. Ergo quoniam XXIIII. Tiberii Caesaris Tribunicia potestas cadit in annum Christi XXII; Tiberii ipsius VIII; ſi addas CL. annos, erit tibi annus post Christum natum CLXXII, M. Aurelii XII. Quam computandi rationem ſi ſequaris, prior Cistophorus annum XX. referens ſignatus fuit anno post Christum XLII, Ti. Claudii, II. Cistophorus, alter, qui annum XLIIII. praefert, anno Christi LXVI. Neronis XII. Ultimus denique, cui annus LXVII. praefixus est, anno Christi LXXXIX, Domitiani IX.

Nullatenus autem impreſsae Cistophoris Ephesinis epochae initium deducendum est ab Asiaticarum civitatum restitutione, quae ad Ephesum non pertinuit. Nihil civitati illi commune fuit cum aliis, quae terrae motu prostratae ſunt; incolumis stetit Ephesus mediam inter finitimarum civitatum cladem, nec Tiberianam ideo experta est munificentiam. Subversas duodecim civitates Asiaticas appellanti Tacito Lib. II. cap. XLVII. Ephesus non venit, quamvis prima occurrat Eusebio. Eccui autem majoris longè momenti futura non est autoritas Plinii, et Taciti, qui cùm non ita multò post Tiberiana tempora vixerint, compendiosiorem habuerunt viam ad veritatem aſsequendam, adeoque ad tutiorem ſibi adstruendam fidem? ſi ſubversis civitatibus annumeranda est Ephesus, cum Eusebio tredecim eversae civitates erunt recensendae, reclamantibus licet iisdem Plinio, et Tacito ſubversas tantùm duodecim appellantibus. Neque uni Plinio, Tacitove, ſed ſibi ipſe contradicit Eusebius, qui affirmans civitates omnino tredecim terrae motu prostratas, quatuordecim tamen appellat. Ergone ſcriptores duo coaetanei, ſibique consentientes posthabebuntur ſcriptori ſomnolento, et temporum, de quibus agit, trecentis annis posteriori? Sed esto, tredecim civitates everſae fuerint; unde arguetur id infortunii Epheso potiùs accidiſſe quàm Dio? Utramque autem civitatem aliis duodecim a Tacito memoratis adjunxit Eusebius.

De quatuordecim Asiaticis civitatibus prostratis a Nicepho-

ro Callisto [a] constare ne dixeris. Nam unde, quaeso, id accepit Nicephorus, nisi ab Eusebio, quem cùm offendifset secum pugnantem in afsertione civitatum eversarum, et earum appellatione, voluit totidem subversas fuifse, quot in Eusebio appellatas legerat. Aniles fabulae, et obvia pafsim in ejus operibus ἁμαρτήματα Nicephorum ab omni prorsus fide apud eruditos spoliant. Adde quod cum saeculo decimo quarto vixerit, propter nimiam temporum intercapedinem, certior quàm Plinius, et Tacitus fieri non potuit de illa civitatum Asiaticarum clade.

Alia igitur ineunda est ratio inquirendae aerae Cistophoris Ephesinis consignatae, supposito semper, de quo superiùs, M. Aurelii Antonini nummo. Imperium tenuit M. Antoninus ab anno Christi CLXI. ad CLXXX; unde liquet epocham PN. seu CL. ejusdem Imperatoris nummo praefixam initium auspicatam fuifse inter Christi annos XI. et XXX. In hoc autem novemdecim annorum decursu si quid rei acciderit a quo aeram ordiri potuerint Ephesini, unum profectò illud fuit, in quo de jure Asylorum quaestio habita est. Crebuerat, referente Tacito [b] Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi, adeo ut nullum satis validum imperium efset coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut caerimonias Deum protegentis. Jufsit Tiberius Caesar ut per Legatos Romam mitterent Civitates sua jura, quae Patrum disquisitioni commisit. Erit fortè qui hujusce facti memoriam opinaturus sit Ephesinos consignafse suis nummis. Fuerit sanè, sed aliàs, per me licet, servilis adeo Asiaticorum adulatio, ut illum celebrarent diem, quo, ut Taciti verbis utar, Senatus majorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam qui ante vim Romanam valuerant decreta; ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret, mutaretve. Sed Ephesinis dies ille nefastus fuit; ideoque oblitterandus. Patribus Asylorum jura disquirentibus, una Pergamenorum nomina rata habita sunt; Taeniorum, Sardianorum, Smyrnaeorum, Cretensium quae obscuris ob vetustatem initiis ni-

[a] Hist. Eccles. Lib. I. cap. XVII. [b] Annal. Lib. III. cap. LX. et seq.

tebantur, abrogata; caeterarum civitatum, inter quas Ephesus, imminuta. Non fuit igitur Ephesinis, cur ob imminutionem jurium ſui Asyli epocham conderent; quam tamen non ſoli condidiſsent. Eorum etenim exemplum amplexae fuiſsent caeterae pleraeque civitates Asiaticae. Nulla tamen, ne Pergamus quidem, cujus unius rata jura voluere Patres, annos exinde computavit.

Sed haec gratis dicta ſunto, quippe quae accommodata eorum opinioni, quibus pro genuino laudatus M. Aurelii nummus habebitur. Nummum nos jubemus in restituendorum albo referri. Patino caeteroquin de re nummaria benè merito, pronum fuit in attrito temporum injuria numismate ſemesam, qua ventrem habet, litteram B. pro littera P. aſsumere. Humanum errorem hunc Patino irrepsiſse constat e duobus aliis ſimilibus, et integerrimis ejusdem M. Aur. Antonini nummis, quorum unum vidimus Lugduni apud R. P. Maniquet PP. Minimorum tunc temporis Provincialem, alterius descriptionem nacti ſumus e ſchedis Ill. D. Rigord, olim Praetoris urbani Maſsiliae, et de litteris ac re nummaria bene meriti. Uterque nummus cum cervi ſinistrorsùm stantis imagine praefert ΕΦΕΣΙΩΝ Β ΝΕ. ſcilicet Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων. Unis in re nummaria peregrinis insolita visura est haec epigraphe, quae ſaepiùs recitatur apud Vaillantium, vel in ipsis M. Aurelii nummis. Patiniani numismatis, quod etiam ex nummo non integriori refricavit Begerus, mendum ſubodoratus fuerat Harduinus; nummum enim, et quidquid de eo in priori editione operis ſui commentatus fuerat, expunxit in ſecunda. Praeterea ſi Ephesinis, vigente Romano imperio, aera fuerit, cur eâ non donantur caeteri, quos cum imaginibus Imperatorum percuſserunt nummi? Licèt nihil tam obvium ſit, ac frequens in cimeliis quàm hujusmodi nummi, nullum tamen unquam reperias alium, qui epocha gaudeat. Quasi verò rarae forent, et in uno alterove nummo consignatae epochae earum civitatum propria ſibi aera utentium, a quibus innumera prope numismata conflata ſunt.

Altiùs itaque quàm a Romanorum Imperatorum temporibus repetendum est Ephesinae epochae caput. Non videtur autem

repeti posse ab Asia Romanis concessa, adquisitave. Ab Attalo Pergamenorum ultimo rege, ad Octavium Caesarem usque, nihil refertur ab historicis, quod condendae aerae causa Ephesinis esse potuerit. Toto illo centum quinquaginta ferè annorum spatio condita si fuerit haec aera, legenda sanè erit in aliquot nummis illo temporis spatio apud Ephesinos signatis. Atqui ne unum quidem videre sis epochâ inscriptum, quamvis bene multi habeantur apud Holstenium, Bellorium, Begerum, Wildium &c.

Nec velim causeris aeram a praerogativis, aut collatis in Ephesinos a Populo Romano beneficiis, quia eo ipso Ephesini vocantur in crimen ingrati animi, qui non ultra fortè sexagesimum septimum annum acceptorum beneficiorum memoriam retinuisse ex suis nummis arguerentur. Praeterea quae praetendis beneficia; tibi appellanda erunt, suoque praedefinienda tempore, tempora cum Cistophoris coaequanda, coaequata suis stabilienda momentis. Qui quod aperiendum etiam erit, cur acceptorum beneficiorum memoriâ Cistophoris commissâ, caeteri omnes Ephesini nummi vacent. Viden quot, silentibus historicis, ambages, quot aenigmata omni Oedipporum sagacitate majora?

Ab inita pace inter Antiochum Magnum et Cn. Manlium Vulsonem, U. C. anno DLXV. auspicari quoque nequit Ephesina aera. Ex foederis conditionibus plurimae quidem cis Taurum civitates Asiaticae in libertatem assertae sunt. Ad Ephesinos tamen non pertinuit ea felicitas; nam volentibus ita Romanis victoribus, cesserunt in partem Pergameni regni (a). Eadem fuit conditio Mylassensium, Trallensium, Telmessensium. Sic ex alieno redemerunt officia sibi praestita Romani apud Eumenem, ejusque regnum finitimarum civitatum, atque Provinciarum accessione ampliârunt. Cùm Populum Romanum haeredem ex asse scripsisset Attalus moriens, dominos, non fortunam mutavit Ephesus: quam sub Pergamenis regibus servierat servitutem, sub Romanis diu retinuit.

[a] Livius Lib. XXXVI. Polyb. exc. leg. n°. XXXVI.

Q

Feliciter nodum fortè ſolveris, ſi dixeris aeram ſacram, quae Epheſinis inſcribitur Ciſtophoris. Nec huic conjecturae ſua defutura ſunt argumenta. Omnium teruntur manibus argentea Vespaſiani, Titi, Domitiani, Nervae numiſmata cum epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ; adeo non insolens est in nummis aera ſacra. Nullâ inſigniuntur aerâ civiles, ſi fas ita loqui, Epheſinorum nummi, quotquot ſignati ſunt ab illis in Romanorum poteſtatem redactis. Uni tamen gaudent epochâ Ciſtophori, quos cùm demonſtraverimus Sabaziorum occaſione ſignatos fuiſse, ſacram monetam meritò poſsis appellare. Epocha autem inſcripta nummis unis religionis ergò conflatis, dum caeteri omnes ibidem conflati eâdem careant, ea, inquam, epocha cur ſacra non appellanda erit? Diximus Dionyſiorum annuam celebritatem in Aſia tantam fuiſse. ut ab eis quondam, ante inſtitutas Olympiades, tempora diſcriminata fuerint; cur ab inſtitutis, renovatiſve Sabaziis idem Epheſini factitare, et Ciſtophoris mandare nequiverint? Ut ut ſit, Epheſina, de qua agimus, aera facit ut opiner Ciſtophoros iſtos longè ante Romanorum in Aſiam adventum fuiſse conflatos.


X I.

De Cretensium Ciſtophoris. Ciſta e qua proſilit ſerpens in corona e baccis et hederae foliis compoſita.)(ΚΡΗΤΑΙΩΝ in ima nummi parte; in ſuperiori, tripus; dextro latere, monogramma conflatum litteris ΑΛΕ. aut ΜΕ. cum linea transverſali ſuperimpoſita; laevo, ſerpens ferulae implicitus; in media area, ſerpentes gemini complectuntur pharetram, aut vannum in qua arcus.

Ciſta ut ſuprà.)(Duo ſerpentes iidem pharetram, aut vannum in qua arcus, ambientes; dextro margine Σ'ΑΡ; laevo, telum; in ima nummi parte ΚΡΗ.

Ciſta eadem.)(Serpentes et pharetra, aut vannus ut in ſuperiori, ſed ſine arcu; in vertice nummi ΔΙ; inferiùs, ΤΡΙ; latere dextro, ΚΡΗ.

Eadem cista quae ſupra.)(. Duo ſerpentes, pharetra aut vannus, ut ſupra, cum arcu; latere dextro, ΚΡΙ; ſiniſtro, Solis ſydus.



Sui igitur fuerunt etiam Cretenſibus Ciſthophori, et ad Bacchum referendi vel invito Meurſio, qui vini Cretici laudator licèt egregius, Bacchum tamen in tota Creta vix reperit. Reperiundus tamen ille, praeſertim apud Julium Firmicum [a]. Eo autore unicus filius erat Bacchus Jovis regis Cretici, et adulterâ matre genitus. Uxor regis Juno, abſente rege, corruptis pueri cuſtodibus Titanibus, eum trucidavit. Redux pater, in gypsea, quam ad ſolatium effinxerat, filii ſui imagine, cor ejus ſervatum a Bacchi ſorore recondidit. pro tumulo extruxit templum, et paedagogum pueri Silenum conſtituit ſacerdotem. Quò furentem tyrannum compeſcerent, feſtos funeris dies ſtatuunt Cretenſes, atque annuum ſacrum trieterica conſecratione componunt. omnia ordinatim agentes quae puer moriens aut egit, aut paſſus eſt. Vivum dentibus laniant taurum, crudeles epulas annuis commemo-

(a) De errore prof. Rel. cap. VI.

rationibus excitant, et latè per ſylvas clamoribus diſsonis ejulantes emetiuntur animi furentis insaniam. Praefertur cista, cui cor fratris ſui ſoror ſervandum commiſerat. Haec ille de commentis Cretensium, qui ſi unquam, juxta vetus proverbium, mendaces, in eo certè argumento. Frustra quippe αὐτόχθονας ſe ſe venditarunt illi, ut faciliùs inde ſua in inſula plurium Deorum adstruerent originem. Genus, et cum genere ſacra deduxiſse Cretenses ab Asiaticis demonstravit Begerus [a]. Demonstrari etiamnum poſset, ſi pluris ad nos ea intereſset disquisitio, autoritate Diodori Siculi Ephorum, et alios autores ſuae ſententiae antesignanos appellantis. Id unum ſaltem exinde arguere erit, Bacchi ſcilicet historiam, et caerimonias ab Aegypto Cretenses deduxiſse, mediantibus tamen Asiaticis, a quibus Cistophoros quoque conflandi morem accepiſse dicendi ſunt. Ut enim Cyprus insula post legem Clodiam Praetoria provincia facta est, et Ciliciae adjuncta a Ciliciensi Proconsule administranda, ita videtur Cretam Romanorum armis a Q. Caecilio Metello ſubactam provinciae formam ſuscepiſse, et Asiae Proconsulari fuiſse annexam. Neutra enim insula ea erat, quae in ſingularem provinciam constitueretur. In Creta certè Proconsul numquam altera Q. Caecilio Cretico, aut proprius Praetor occurrit. Quod ingens argumentum est Cretam alteri provinciae majori fuiſse adjunctam: eccui verò, nisi Asiaticae? Nullum e veteribus, quod rescierim, adversantem ſibi autorem habet haec opinio, eamque stabilire videtur Asiae vicinia. In partem Ciliciensis imperii Cyprus venerat, venire cur non potuit, imò cur non debuit Creta in partem Asiatici imperii, ut aequalis ſortis utriusque provinciae Praetores, aut Proconsules haberentur? Ergo dum ab Asiatico Proconsule administrabantur Cretenses, videntur Cretici ad Asiaticorum exemplar, ſignati Cistophori. Quid ſi tum Sabazia quoque celebraverint illi populi, ut Asiaticis ſicut provinciae formâ, ita et feriarum ſimilitudine, aut ſaltem cognomine consentirent? Si Sabazia Cretensibus ignota fuerint, non certè Orgia, quae Creticis in comitiis etiam celebrari

(a) De numm. Cretens. ſerpentif.

celebrari potuerunt eodem tempore, quo Sabazia ab Asiaticis. Nullum Proconsulem appellarunt in suis Cistophoris, quia videtur in more fuisse positum, ut Cistophori inscriberentur tantùm nomine Proconsulis, quando, et qua in civitate Sabaziis ille praeerat. Nunc scrutandum est quid proprium sit in singulis illis Cistophoris.

Litteris ΣΑΡ. et ΤΡΥ, si tamen bene legantur, nomina designantur Prytanum, aut saltem supremorum Magistratuum, qui Dionysiacis feriis et ludis praefuerunt. Illa interpretaberis nomina ΣΑΡπηδὼν, et ΤΡΎφων. Litterae ΔΙ. accipi fortè possunt de Dionysiadibus insulis Cretae adjacentibus ad orientalem plagam juxta Peutingerianas tabulas, e regione scilicet Asiae. Ex illis Insulis Diodorus Siculus [a] memorat Cretenses probare velle apud se Bacchum esse natum, quòd prope Cretam duas insulas in gemellis, quos vocant, finibus excoluerit, et eas de nomine suo Dionysiades appellaverit. Dixi Prytanum, Magistratuumve nomina designari litteris ΣΑΡ. et ΤΡΥ, si tamen bene lectae fuerint. Vereor enim ne Goltzius ex inadvertentia, aut e nummo detrito, litterarumve similitudine aliquali litteram Τ. pro littera Π. videre se sibi persuaserit in eo Cistophoro, ubi ΔΙ. ΤΡΥ. legit. Si autem ΔΙ. ΠΡΥ. legatur, quae germana videtur lectio, asseruntur Prytanes in Creta, et indicatur Διόδοτος aliquis, aut ΔΊων ΠΡΎτανις Cretensium Orgiorum.

Cistophorûm alter habet Solis sydus, signum videlicet unius, ejusdemque divinitatis, quam Baccho, et Apollini convenire probat Macrobius Saturn. Lib. I. cap. xx. Bacchantes inducit Ovidius Naso canentes in Orgiis (b):

— — tibi enim inconsumpta juventa est;
Tu puer aeternus, tu formosissimus alto
Conspiceris coelo.

Parnasso Boeotiae in monte Baccho sacra fuisse communia cum Apolline testatur Lucanus (c).

— Parnassus gemino petit aethera coelo

[a] Lib. V. [b] Metam. IV. [c] Lib. V.

R

Mons Bromio, Phoeboque ſacer, cui numine mixto
Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae.

Ut Apollini, ita Baccho comites novem annumerantur Muſae (*a*): uterque Poëtarum praeses: Horatio (*b*):

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem.

Utrique laurus quoque ſacra (*c*), quod de oraculis etiam affirmare est: unde Libanio (*d*), idem Apollo, qui Bacchus. Callistratus in statuarum expositionibus meminit cujusdam Bacchi lyram thyrso fulcientis. Non aliûs videtur fuiſse ſententiae qui denominationem *Invicti* propriam Soli, ſeu Apollini, Libero quoque adjudicavit in hoc Lipsiano marmore, pag. CLI. n°. 17.

L. CALPVRNIO L. F. PAPIRIA ASELLO
VI-VIRO AVGVSTAL. ET PONTIFICI MIN.
DEI LIBERI INVICTI
CALPVRNIA HILARA MARITO
OPTIMO SANCTISSIMO
BENE MERENTI FECIT.

Dicere quoque nil vetat ſolarium radiorum projectionem aureis designari cornibus frontem Liberi paſsim opacantibus; Solis circa orbem revolutiones, peregrinationibus Bacchi in toto terrarum orbe; Solis pernicitatem et calorem, lyncibus, pantheris, tigribus perniciſsimis atque calidiſsimis animalibus Dionysio ſacris; maculosis eorum pellibus, quibus Liber Pater quandoque amicitur, stellatum coelum a Sole ſyderum principe moderatum; Solis occasum, Bacchi ad inferos descensu &c. Cùm autem in eo Cistophoro Solis ſydus expreſsum ſit, et nullae, quae in aliis frequentes, appareant faces, ſuspicandum venit eo emblemate Cretensium Orgia de die tantùm celebrari ſolita fuiſse.

Tripus in altero Cistophoro visitur; qualis ille fuerit, per

[*a*] Diodorus Lib. IV. et alii. [*b*] Od. XVI. Lib. II. [*c*] Tertul. de corona mil. cap. XII. [*d*] Declamat. XIX.

ſummam illius exiguitatem , caelatorisve incuriam distinguere non licuit. Duplex tripodis usus apud veteres , ad vaticinationem ſcilicet , et ſuffimenta. Celebrantur Bacchi reſponsa apud Ligureos Thraces , ubi aditus erat Libero ſacer , in quo fundebantur oracula , epoto tamen priùs vino plurimo [a]. Fatidico tripodi insistebant Bacchantes distractis cruribus , divinos admiſsurae ſpiritus , atque anhelitibus ſacris inflandae. Aliàs edebantur oracula e ſubjecto , implicitove tripodi ſerpente [b]. Delphis Bacchi ſignum erat ſub imagine Apollinis geminas faces quatientis [c]. De Nysaeo antro Bacchi oraculis nobilitato Lucanus Pharſ. Lib. I. Quorsùm Bacchus Orpheo , Euripidi , Nonno dicitur fatidicus , nisi ab oraculorum frequentia et celebritate ?

Alterius generis tripus erat opertus patinâ prunarum capaci , et adolendo thuri destinatâ , unde ἐμπυριβῆται et αἴθωνες hujusmodi tripodes appellati , quos Diis omnibus , ipsis quoque communes heroibus nemo nescit. Facilè crediderim prioris generis tripoda , qui lebes dicebatur , Cistophoro commiſsum. Lebes enim quidam tripus erat ἄπυρος , Apollini et Baccho dicatus , quia utrique ad oracula conveniens. Illius meminit Virgilius Aeneid. IX.

Tertia dona facit , geminos ex aere lebetes ,
Cymbiaque argento perfecta , atque aspera ſignis.

Poculum Bacchi dicebatur etiam , et in eo vinum temperabatur. In Dionysiacis certaminibus victores eo donabantur tripode , ſeu lebete , cujus infima pars ternis insistebat pedibus [d].

Quam negavimus in Asiaticis Cistophoris pharetram , repraesentare videntur Cretici , modo tamen ad archetyporum normam fideliter expreſsi fuerint a Goltzio. Creticos numquam contigit mihi Cistophoros inspicere , unde constare potuiſset de Goltziana diligentia , quae ſaepiùs , nec immeritò , desiderata est in caelandis etiam genuinis numismatis. Quare addubitatur ne quemadmodum in litteris ΤΡΥ. ſic in pharetra

[a] Macrob. loco cit. [b] Lucian. in Astrol. [c] Euripid. in Bacchant.
[d] Athen. Lib. II.

repraesentanda mendum irrepserit. Ex praejudicata ſiquidem opinione,'et aliquali pharetrae cum vanno ſimilitudine deceptus videtur Goltzius, et pro vanno ſubſtituiſse pharetram. Quae tamen pharetra ſi fortè exhibeatur in Creticis Cistophoris, in Bacchi ſymbolum, Harduino duce [a], aſserenda est, quamvis neget nuperus autor clariſsimus [b] pharetram pertinere ad Bacchum, cui longè diversa in antiquis monumentis ſymbola adsignata fuiſse contendit. Mirum ſanè illud est in viro de antiquitate caeteroquin bene merito, qui in Methymnensium nummo (pag. 187.) galeatum Bacchi caput ipsemet agnoscit, quemque latere non debuit nummus Antonini Pii apud Vaillantium, cum apposita pharetra e regione capitis Bacchi, et adjuncta epigraphe ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Sed, ut Nonnum, et alios taceam de Bacchi pharetra non raró commemorantes, Bacchum pharetratum dabunt antiqua monumenta apud Vulpium Riccium Tom. 3. Antii veteris, Monfauconium &c.

X I I.

De Antonii III-Viri Cistophoris.

Cistophorûm agmen claudent qui ſequuntur M. Antonio III-Viro ſignati.


Corona e baccis, et hederae foliis, in qua Caput M. Antonii hederâ coronatum, ſinistrorsùm conversum, cum epigraphe M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Sub capite Lituus auguratûs insigne.)(III-VIR R. P. C. Caput Cleopatrae reginae, sinistrorsùm, cistae mysticae impositum: utroque latere ſerpentes caudis mutuò implicitis, et erectis cervicibus emicant. Ex argento maximi moduli, ut caeteri omnes Cistophori, apud Patinum, Vaill. Erizzo, in gazis Parmensi, et Rothelina.

M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT.

(a) Numm. Pop. voce Ἐρυθραίων. (b) D. Liebe ad numm. inscriptum. ERY, Thes. Frideric.

TERT. Capita jugata, sinistrorsùm conversa M. Antonii hederâ coronati, et Cleopatrae diademate revincti.)(III-Vir R. P. C. Cista mystica ſupra quam Bacchus muliebri habitu stat dextrorsùm conversus, dextrâ poculum tenet, laevâ thyrso innixus. Argenteus pariter nummus apud Patinum, D. Abbatem de Rothelin Parisiis, D. Everardum Fauukener Londini, R. P. De Colonia Lugduni.

M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. M. Antonii hederâ coronatum caput, ſinistrorsùm, in corona ex hedera et corymbis contexta.)(III-Vir R P. C. Duo angues impliciti complectuntur vannum in qua arcus, et duo ſpicula; latere dextro ΠΕ; laevo, caduceus. Apud Gorleum Famil. Tab. II. n°. x. et Patinum.



Ab istis Cistophoris nullos deinceps nanciscimur in Asia ſignatos. Materiâ ſuâ pondere, cista, et implexis ſerpentibus Cistophori dicendi, referant licèt M. Antonii, et Cleopatrae imagines. Ab antiqua et ſimplici eorum forma desciscere inceptum jam fuerat a temporibus C. Clodii Pulchri, et Q. Metelli Pii Scipionis, quorum Cistophori ſuffectam exhibent in locum vanni, aquilam legionariam, aut aspersorium cum acrostolio. Hariolantur autem qui cum Gevartio quaerunt in illis Cistophoris civiles discordias Antonium inter et Octavium Caesarem victoriâ ſopitas. Feliciùs quoque non interpretaberis

S

cum aenea Vico, Rubenio, et aliis, de Asiae, vel Cretae insignibus; cum Hemmelario de profligatis ab Antonio Parthis, ac Medis, quos scriptor iste duobus contendit designatos esse serpentibus; cum Harduino, de Aesculapii symbolis, seu de optima, quae in Asia conficiebatur ex serpentibus theriaca. Ex alio prorsùs capite Antonianorum Cistophorûm deducenda interpretatio. Contra Parthos Armeniacam expeditionem suscepit M. Antonius, cum Octavio Caesare, et regina Aegypti Cleopatra, quos inter foedus et initum fuisse, et triennio saltem stetisse nummi docent. Rebus terrâ marique feliciter gestis, sub anni a foedere inito tertij finem, exercitum reduxit M. Antonius in Asiam, ubi dum stativa faciebat, incidit in Sabaziorum solemnia, et duobus circiter post mensibus, ut videtur, secundum Consulatum capessivit.

Imperator II. et Cos. designatus iterùm erat M. Antonius antequam in Armeniam ingrederetur, et contra Parthos moveret. Nummos, locupletes scilicet testes audiamus.

M. ANTONIVS M. F. M. N. AVG. IMP. ITE. Stat ipse habitu militari cum hasta, pede sinistro prorae imposito navem conscensurus.)(COS. DESIG. ITER. ET TERT. III-VIR R. P. C. Leo dextrorsùm conversus pede dextro strictum pugionem praetentat: in vertice, Solis sydus. Istud Orientis, ubi tum degebat Antonius; illud bellici apparatûs, et denunciati belli symbolum. Aureus apud Patinum.

M. ANT. IMP. COS. DES. IT. ET TER. III-VIR R. P. C. Capita duo jugata sinistrorsùm conversa, M. Antonii sine corona, Cleopatrae cum diademate, et stola ad pectus)(M. OPPIVS CAPITO PROPR. *M. Oppius Capito Propraetor.* Triremis cum velo, et remigibus. In superiore nummi parte littera A. *anno* scilicet ab inito foedere *primo.* Ex aere mediocri apud Vaillantium, famil.

M. ANT. IMP. COS. DES. ITER. ET TER. III-VIR R. P. C. Capita eadem.)(M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. *M. Oppius Capito Propraetor Praefectus classi.* Triremis eadem; in ima parte littera A. seu *anno primo.* Aereus secundi moduli apud Vaillantium. Nostram litteras illas A. B. Γ. interpretandi rationem de annis a foedere

ſancito inter M. Antonium, Octavium Caesarem, et Cleopatram non moratur, arietatve alter L. Atratini apud Vaillantium in Sempronia nummus, in quo, capitibus adversis M. Antonii et Cleopatrae, Antonius COS. DES. TERT. dicitur, cum ſubjecta triremi littera B. Nummum errore calami ad alia properantis malè descriptum Vaillantio ſuſpicamur. Nummus ſiquidem ille idem omnino videtur, qui Patino, et ipsi Vaillantio in Antonia, ubi deficiente littera B. L. Atratinus praefectus claſsi inscribitur. Si non unus et idem, ſed alter et diversus ſit, omitti a Vaillantio non oportuit in Antonia, ubi, pag. 102. profitetur ſe *in gratiam Antiquariorum omnes illius Triumviri nummos, in quibus naves, ſeu triremes occurrunt, ſimul et continenter proferre statuiſse, ut eorum inscriptionem, qui postea incident, aſsequi poſsint.*

M. ANTON. AVG. IMP. III-VIR. R. P. C. Nudo M. Antonii capite ſinistrorsùm converso.)(M. BARBAT. PROPR. PR..... In ima parte, littera A. *M. Barbatus Propraetor Praefectus claſsi: anno primo.* Absit ut cum Vaillantio dicas *M. Barbatus Propraetore Provinciae Achaiae.* Ex aere magno apud Vaillantium è Goltzio.

Sine epigraphe. Caput M. Antonii nudum, dextrorsùm, ad humeros pelle leoninâ amictos, et clavae Herculeae ſuperpositum.)(L. A. ΡΩΜΗΣ. Anno primo foederis initi cum Romanis. Est ex aere tertio nummus in Aegypto ſignatus, apud Ill. D. Lebret.

M. ANT. IMP. IT. COS. DESIG. ITER. III-VIR. R. P. C. Capita adversa, M. Antonii nudum, a dextris ſinistrorsùm conversum: Cleopatrae, diademate cinctum, a ſinistris dextrorsùm; latere nummi ſinistro, prora navis.)(M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. F. C. *M. Oppius Capito Propraetor Praefectus claſsi foederatarum copiarum.* Gallicè diceremus nos: *Chef d'Eſcadre des Troupes confederées.* Triremis cum velo expanso, et remigibus: inferiùs, littera B. id est, *anno ſecundo* ab inito foedere. Inaudita quidem hactenus haec litterarum F. C. interpretatio, quibus *fieri curavit* ſignificari Vaillantio visum est; *frumento convehundo*, Harduino. Quasi verò frumentum convehere, et commeatus

frumentarios hostibus intercludere tanti sit, ut id commendari nummis mereatur, aut nummos fieri curaverint soli M. Oppius, C. Fonteïus, L. Atratinus, Eppius. Eppium appellavimus, quia in argenteo ejus denario occurrunt eaedem litterae F. C. quas pari methodo nobiscum interpretaberis.

Q. METEL. SCIPIO IMP. Caput Africae elephantis proboscide rigens, sinistrorsùm.)(EPPIVS LEG. F. C. *Eppius Legatus foederatarum copiarum.* Hercules nudus dextrorsùm conversus stat, dextrâ lateri compositâ, laevâ spoliis leoninis onustâ, et clavae innixâ. Dum devicto Pharsalicis in campis Pompeïo; Julius Caesar in Alexandrino bello detineretur, Q. Metellus Scipio, et alii Pompeii duces collectis exercitûs relliquiis, et partitâ inter se Pompeïanâ classe dicuntur convenisse in Africa apud Jubam regem bellum reparaturi. Foederatarum copiarum Legatus sub Scipione renunciatus est Eppius. Scipio, cujus nomen ingens in Africa, ipsius Africae caput expressit in hoc denario, ut significaret se in ea regione virtutis avitae degenerem non praestiturum: Romanum imperium a se, ut olim ab Hercule orbis expeditus fuerat, expediendum esse grassatorum tyrannide, Julii scilicet Caesaris, et ejus factionis: susceptas a se reipublicae nutantis partes, easque pace et publica tranquillitate, quae spica et aratro designantur, esse firmandas. Hìc standum; quandoquidem haec nova illius nummi interpretatio interpretatione Vaillantiana longè simplicior, et e visceribus causae nata videtur.

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III-VIR R. P. C. Capita duo jugata M. Antonii, et Octavii Caesaris, nuda, a dextris sinistrorsùm conversa: ex adverso, caput Cleopatrae diademate ornatum, ad pectus cum stola.)(M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. F. C. *M. Oppius Capito Propraetor Praefectus classi foederatarum copiarum.* Triremis cum velo et remigibus: in ima nummi parte, quae a dextris est, littera Γ. *anno*, scilicet initi foederis *tertio*: quae a sinistris, crus triquetrum, maris Siculi, quod tutandum Oppio fuisse hoc anno commissum videtur, symbolum. Est ex aere magno apud Seguinum, pag. 106. et in gaza Lebretiana.

C. FONTEIVS

C. FONTEIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. F. C. *Caius Fonteius Capito Propraetor Praefectus classi foederatarum copiarum.* Capita jugata M. Antonij, nudum: Cleopatrae, diadematum, sinistrorsùm conversa.)(M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III-VIR R. P. C. Triremis, ut supra: in ima parte, littera Γ. Ex aere mediocri apud Patinum in famil. et e schedis D. Roman de Rives.

Parthis devictis, ipsaque etiam Armenia capta, Imperator tertiùm a militibus statim Antonius est appellatus.

ANTONIVS AVGVR COS. DESIG. ITER. ET TER. Capite nudo, sinistrorsùm.)(IMP. TERTIO III-VIR R. P. C. Tiara Armena cum arcu et sagitta transversis. Victoriae modo in Armenia reportatae monumentum. Argenteus apud Patinum in famil. et in gaza Ill. D. Abbatis de Rothelin.

M. ANTONIVS M. F. M. N. AVGVR IMP. TER. Stat ipse habitu augurali, sinistrorsùm: dextrâ, lituo regiones coeli metitur auspicia capturus.)(III-VIR R. P. C. COS. DESIG. ITER. ET TERT. Caput M. Antonii, sub Solis imagine, radiatum, sinistrorsùm. Ut Solis lumen digestis tenebris terrarum orbem, ita sua de Parthis victoria M. Antonius eorum grassationibus infestatum Orientem recreat. Est quoque ex argento hic nummus ibidem.

Armeniam tamen captam sub anni finem necesse est, quoniam illius victoriae insignia pleraque omnia anno tantùm proximè sequenti, et M. Antonio Consule iterùm consignata sunt.

M. ANTON. AVG. COS. ITER. DES. TER. III-VIR R. P. C. Capite nudo.)(IMP. TER. Tropaeum. Argenteus apud. . . . . .

IMP. ANTON. AVG. COS. ITER. DES. TER. III-VIR ITER. R. P. C. Capite nudo sinistrorsùm.)(IMP. TER. Trophaeum; pro pedibus, a dextris, prora; a sinistris, clypeus. Ex argento apud Occonem, et alios.

M. ANT. AVGVR III-VIR R. P. C. Capite nudo, sinistrorsùm.)(IMP. TER. Tropaeum; pro pedibus, a dextris, clypeus; a sinistris, clypeus alter cum duobus spiculis. Est apud Patin. et Vaillant. in famil. argenteus,

ANT. AVGVR. III-VIR R. P. C. Nudo M. Antonii capite.)(IMP. TER. Tropaeum duobus clypeis oblongis ornatum ; infrà , duo clypei rotundi hinc et inde ; a finistris , duo tela. Argenteus in gaza Rothelina.

ANT. AVG. III-VIR R. P. C. Capite nudo , finistrorsùm.)(IMP. TER. Tropaeum cum gladio a dextris , et clypeo a finistris ; infrà , hinc clypeus alter rotundus , inde prora navis , victoriae navalis fymbolum. Argenteus ibidem.

M. ANT. AVGVR. III-VIR R. P. C. Caput nudum , finistrorsùm.)(IMP. TER. Tropaeum inter duas loricas. Ex argento apud Pedrusium , Tab. III. n°. VII.

IMP. ANT. AVGVR. III VIR R. P. C. Caput nudum , finistr.)(IMP. TERTIO III-VIR R. P. C. Tiara Armena cum arcu , et fagitta transversis. Argenteus nummus apud Fulvium Ursinum in famil.

M. ANT. AVGVR. III-VIR R. P. C.)(IMP. TER. Tiara Armena. Aureus apud Occonem.

Inito tantùm fecundo consulatu M. Antonius triumphales egit laetitias in Asia , ubi paucis ante mensibus Sabazius celebraverat. Marinum ejus triumphum testatur hic nummus ex aere minimo in thesauro Regio.

M. ANT. IMP. TER. COS. DES. TER. Capitibus adversis M. Antonii et Cleopatrae.)(L. ATRATINVS PRAEF. CL. F. C. L. Atratinus Praefectus clafsi foederatarum copiarum. Uterque stat in curru quatuor equis marinis vectus ; Antonius cum toga picta triumphantium propria : Cleopatra stolata.

Sabazia autem eo , quo diximus tempore fuifse celebrata ab eo , evincunt ejus Cistophori , qui ad unum omnes inscribuntur COS. DES. ITER. ET TERT. Ergo nondum Cos. iterùm M. Antonius erat , cùm Sabazia egit omni Bacchico cultu , hederâ et pampino afsumptis. Qualem praestiterit fe fe tunc in Asia , quibus gestis , quâ pompâ , quo comitatu Liberi Minoris ambiverit nomen , dabunt Plutarchus et Dio (a). Cleopatrae , tanquam novae Ariadnae fuas quoque fuifse partes in Sa-

[a] Plut. in vita Antonii , Dio Lib. XLVIII.

baziis, ex iisdem arguendum Cistophoris regio ejus capite insignitis. Cave tamen audias impuros ſcriptores, quos ex conjunctis M. Antonii, et Cleopatrae capitibus, meretricios utriusque amores comminisci, et in aere commendatos quaerere non puduit. Sceleris tanti monumentum patiens concocturusne fuiſset M. Antonius, aut ipsa Cleopatra ? Esto, fuerit haec regina meretrix, ideone cum Octavio Caesare illegitimos etiam foviſse amores dicenda est, quòd Octavii Caesaris vultum et nomen, cum vultu et nomine Cleopatrae exhibeant nummi ?

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERT. III-VIR R. P. C. Capita jugata M. Antonii, et Octavii Caesaris : ex adverso, caput Cleopatrae.)(M. OPPIVS CAPITO PROPR. PRAEF. CL. F. C. Triremis, ut proximè diximus.

ΑΤΤ. ΤΟΥ ΚΑΙC. ΘΕΑC ΝΕΩΤΕΡΑC. Corona laurea, in qua victoria palmae ramum utrâque manu capiti circumducit.)(ΒΑCΙΛΙCCΗC ΚΛΕΟΠΑΤΡΑC. Caput Cleopatrae diademate revinctum. Ex aere minimo, olim apud D. Foucault, nunc in gaza Parmensi.

ΑΥΤ ΚΑΙCΑΡΟC. Aquila fulmini insistit.)(Sine epigraphe. Cleopatrae caput regio ejus diademate insigne. Ex aere tertio, e ſchedis D. Rigord. Nihil gravius, aut magis pudicum, Harduino teste, dici potest, aut excogitari, quàm quod nummi antiqui referunt de Imperatoribus et Augustis, illis praesertim temporibus. Initam igitur ſocietatem et amicitiam inter Antonium, Octavium Caesarem et Cleopatram adversùs communes hostes Parthos id genus nummis testantur, aliique non diſsimiles.

ANTONI. ARMENIA DEVICTA. Capite M. Antonii nudo, ſinistr; a dextris in margine nummi, pharetra.)(REGINAE REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATPAE. Diademato Cleopatrae capite, ad pectus cum stola, ſinistrorsùm ; ex adverso, prora navis. Nummus ex argento apud Ill. Lebretium.

Μ. ΑΝΤ. ΑΡΜΕΝΙΑΝ ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ. Caput nudum, ſinistrors.)(ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΑΙΓΥΠ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. Capite velato,

ad pectus cum stola, sinistrorsùm. Argenteus semuncialis apud Gorlaeum.

M. ΑΝΤ. ΑΡΜΕΝΙΑΝ ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ. M. Antonii caput.)(ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. Clepatrae caput. Argenteus pariter in gaza Medicea, et Veronae apud Ill. D. Marchionem Maffeïum.

M. ANTON..... CLEOPATRA. Jugatis eorum capitibus, sinistrorsùm conversis.)(ALEX. CLASS. *Alexandrina classis.* Triremis velo expanso. Ex aere minimo apud Patinum in famil.

Suis copiis foederata praefuisse videtur Cleopatra, et cum Antonio suscepisse Armeniacam expeditionem; cum Antonio saltem in Asia, et quidem Pergami, ut ostendit tertius Antonianus Cistophorus, commorata est.

XIII.

De nummis cistam praeferentibus.

Hactenus de Cistophoris quotquot ad nos usque pervenerunt. Nunc ad eos veniamus nummos, qui propter cistam iis impressam ad Cistophoros propiùs accedunt, et illis annumerandi, si vim, et etymon nominis spectes; sed ab illis distinguendi, si quid, et quantùm apud veteres Cistophori nomen valuerit, expendas.

Primus esto itaque Octavii Caesaris argenteus nummulus Quinarii formâ, in eruditorum cimeliis obvius.

CAESAR IMP. VII, Capite nudo.)(ASIA RECEPTA. Victoria dextrâ lauream coronam, laevâ palmae ramum gestans, insistit cistae, dextrorsùm, inter duos angues sinuosos, caudis implicitos, et capita hinc inde erigentes.

In eo interpretando numismate mirum quantùm desudaverint autores vel celeberrimi. Quàm difficili loco stemus, demonstrat opinionum varietas: illarum celebriores, brevitatis causâ, paucis evolvemus.

Tropaeum hìc contemplatur Ant. Augustinus ab Augusto Caesare erectum in limitaneo Europae et Asiae tractu, atque geminas

geminas orbis partes illas ſerpentibus adumbratas. Designatos ſerpentibus M. Antonium et Cleopatram interpretantur Aeneas Vicus, et Ulisses Aldrovandus [a], ideoque nummum de Actiaca, ſeu Aegyptiaca Octavii Caesaris victoria. Gaspari Gevartio ſerpentem in diſsidii, ſeditionis et belli ſymbolum convertenti visum est geminis ſerpentibus nummo consignatis ſignificari Romani imperii geminas in factiones divisi diſsidia, et bellum civile, quod victoriâ mediâ dirimitur, debellato ſcilicet ad Actium M. Antonio. In ſua peculiari, quam de hoc nummo ſcripsit, diſsertatione Alb. Rubenius contendit apud veteres usu quandoque venisſe, ut nummi, omisſo civitatis, aut regionis ubi cudebantur nomine, civitatis illius, aut regionis insignibus unis denotarentur, atque adeo M. Antonii, Augusti, Vespasiani et Titi nummos vel appellatos jam, vel jamjam appellandos fuisſe ſignatos in eo loco, cujus insignia ſunt gemini ſerpentes implexi. Itaque ex nummis Cretensibus apud Goltzium reperiundis, in quibus gemini angues impliciti exprimuntur cum templo, aut Jove intermedio, nil cunctatus statuit angues fuisſe Cretae insignia, et consequenter ſignatum in Creta Augusti, de quo agimus, nummum. Praeterea Cistam ad Bacchi Orgia, quorum adinventionem ſibi adjudicabant Cretenses, traducit ille, et geminos angues, Victoriaeque ſignum cistae impositum ad Actiacam victoriam, cui consequendae haud poenitendam operam navarunt Cydoniatae, et Lampaei. Praeivisſe videtur Rubenius Spanhemio, Norisio, Vaillantio, qui Actiacam victoriam eo nummo conſecratam volunt. Ad expugnandam Asiam claſse appellenti Alexandro Magno fuerant obvii angues duo, quibus ille totidem tanquam ſecundis expeditionis ſuae auguriis usus est. Et hujus facti memoriam ab Augusto commendatam aeternitati in eo nummo auguratur Andr. Morellius. Harduinus verò explicat de Parthis Asiam, ſeu Syriam infestantibus, per Caesaris-tertiùm Consulis legatos fugatis, ipsique Caesari delato Orientis imperio.

Conjecturales nemo in veteribus nummis paulò versatus non

[a] Hist. Serpent. pag. 85.

coarguerit plerasque hujusmodi opiniones. Mitto igitur excogitatum ab Ant. Augustino tropaeum ; mitto Gasparem Gevartium adumbrantem ſerpentibus M. Antonium et Cleopatram , atque Romani imperii diſsidia , bellumque civile ; non moror Rubenium Cretenses ſerpentibus insignientem , nec Morellium refricantem Alexandri Magni ad Asiam appulsum. In illis expendendis opinionibus non immorandum , quas retuliſse , refutaſse est. At ab Harduino percontari liceat quo nixus fundamento aſserat per legatos Octavii Caesaris tertiùm Consulis Asiam in libertatem fuiſse vindicatam a Parthorum infestationibus ? Cur Syriam , adeoque imperium Orientale velit in illo nummo ſignificatum Asiae nomine ? De his nummi , ne γρῦ quidem ; imò contrarium ſuadent. Latiorem praeterea hujus nominis (Asia) in hoc numismate ſignificationem fuiſse eccui perſuasurus est , quàm in aliis ejusdem Augusti , Tiberii , Claudii , Hadriani inscriptis modò COM. ASI. modò CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS , modò ASIA ? Ibi Asia propriè dicta , ſive Proconsularis intelligenda venit. Neque audiendi qui Asiae receptae nomine victoriam Actiacam , aut aerae , quam vocant , Augustanae exordium interpretantur. Ergone ad Asiaticos unos Actiacae victoriae redundarunt fructus , unumve illius victoriae emolumentum fuit Asia recepta ? Si ad Asiam ea victoria pertinuerit , cur in omnibus ejus ferè numismatis aeras alioquin multiplices exprimentibus, Augustana , quam dicunt , aera desideratur ? Cur eam inscriptam volunt in unis prope Syriae nummis ? Hujus regionis ex Actiaca victoria conditio potiorne fuit , quàm illius ? Refundatur neceſse est initium aerae , quae ipsis Augustana dici placuit , in tempora expeditionis illius , qua adjunctis Octavii Caesaris , et Cleopatrae foederatae copiis M. Antonius Armeniam cepit , atque devicit , ut loquuntur nummi. E Parthorum ſervitute tunc ereptae , aut novis amplificatae videntur praerogativis pleraeque civitates , quae novam exinde aeram in nummis ſuis auſpicatae ſunt. Aeram hanc frustra repetieris ab Asia recepta , aut ab Actiaca victoria , quae aliquot tantùm post annis reportata est , Octavio Caesare Imp. VI. Cos. V.

Ex omnibus ſiquidem nummis Octavii Caesaris post Ar-

meniam captam, et ad Alexandriam Aegypti expugnatam usque consignatis, illi uni, qui quinto ejus consulatu inscripti ſunt, aut ad istum consulatum referendi, plurima victoriae monumenta praetendunt, quae, velis, nolis, de Actiaca victoria explicaturus es. Qui Aegyptum captam, confectumque bellum civile ante ſextum Octavii Caesaris consulatum volunt, prorsus vel nesciunt, vel ſcire ſe diſsimulant veteribus nummis ſe contradicere.

CAESAR COS. VI. Capite nudo, dextrorsùm: ponè, lituus.)(AEGYPTO CAPTA. Crocodilus ſinistrorsùm conversus. Est ex argento in gaza Rothelina:

CAESAR DIVI F. COS VI. Nudo pariter capite.)(AEGYPTO CAPTA. Crocodilus. Ex auro, et argento apud Occonem.

Victoria ſua humaniter usus, Antonianarum partium ſectatores in amicitiam adjunxit Octavius Caesar, atque proprias injurias aut commoda civium libertati et ſaluti condonavit. Hinc ſignati eodem anno nummi:

IMP. CAESAR DIVI F. COS. VI. LIBERTATIS P. R. VINDEX.)(PAX. Dea stolata stans, dextrâ caduceum, laevâ cornucopiae tenet. Aureus est apud Occonem.

CAESAR COS. VI. CIVIBVS SERVATEIS. Capite nudo, ſinistrorsùm. AVGVSTVS S. C. Aquila Romana, expansis alis, ſinistrorsùm, rostro dextrorsùm converso, coronam querceam unguibus gerit; hinc et inde laurus arbor. Memoris animi ſui monumentum, quo victoriam, et in rebelles moderationem ab Actio Apolline acceptam referre ſe testatur Caesar. Aureus perpulcher est hic nummus e cimelio Ill. D. Lebretii. Mendosè apud Harduinum legitur cos. VII. in ſimili nummo Colbertino. Ex hoc autem praecipuè, et ſubsequentibus nummis advertas, velim, Caesarem eo anno Augustum dici cepiſse, non verò ſequenti.

CAESAR AVGVSTVS. Laureato capite.)(ARMEN. RECEP. CAESAR DIVI F. IMP. VII. Armenia stans cum hasta et cornucopiae; virtutis et fertilitatis Armeniacae ſymbola, quorum utrumque in expeditione Aegyptiaca expertus videtur Caesar. Apud Occonem, argenteus.

AVGVSTVS. Capite nudo.)(Victoria prorae instat, cum palma et corona. Est apud Harduinum argenteus.

CAESAR AVG. Lauri duae.)(OB CIVES SERVATOS. In corona quercea. Aegyptiacae victoriae paucis ante mensibus, anno tamen proximè superiori, circa Septembrem praeiverat Octavius Caesar victoriâ Actiacâ. Diuturniorem temporis moram inter utramque admittere non patiuntur rerum qui tunc status erat, militaris scientia, nummi superstites, et sextus Caesaris consulatus quintum immediatè subsequens, ut consentiunt omnes ferè historici. Hujus ad Actium victoriae occasione signatos aliquot nummos adducimus.

CAESAR DIVI F. IMP. VI. COS. V. Capite nudo.)(ACT. Apollo Actiacus stat. Aureus e schedis Peireschii; malè apud Occonem IMP. V. COS. IV.

IMP. CAESAR DIVI F. COS. V. IMP. VI. S P Q R.)(Sine epigraphe. Caesar equo vectus. Aureus apud Occonem.

CAESAR IMP. VII. Capite nudo.)(COS. V. Victoria prorae navis insistit, dextrâ coronam lauream tenet, laevâ palmae ramum. Est ex argento, apud Harduinum.

IMP. CAESAR DIVI F. COS. V. IMP. VII.)(SPQR. Currus triumphalis quatuor equis junctus. Ex auro, apud Occonem.

Caput Victoriae, sinistrorsùm, ad humeros alatos.)(CAESAR DIVI F. Neptunus stat, dextrorsùm, dextrâ acrostolium tenet, victoriae navalis symbolum. Nummus ex argento in gaza Rothelina.

IMP. CAESAR. Stat ipse in curru quadrijugo triumphantium more, sinistrorsùm.)(Victoria dimidiatae navi instat, sinistrors; dextrâ coronam lauream praefert, laevâ palmae ramum. In gaza Parmensi argenteus nummus.

Sine epigraphe: hinc caput Caesaris nudum; inde trophaeum navale. Aureus apud Occonem.

Pugnatum est igitur ad Actium, si nummos audias, Caesare Cos. V. Imp. VI. Partâ victoriâ, M. Antonium recipientem se in Aegyptum jam jam secuturus Caesar, Asiaticos, et Armenos qui Antonianas partes amplexi fuerant, ad officium revocare

revocare properavit, ne hostes molestos ſibi futuros, aut nova M. Antonio auxilia ſubminiſtraturos post ſe relinqueret. Si non statim post adeptam Actiacam victoriam, in Asiaticis ſaltem, et Armeniacis expeditionibus illis Imperator VII. ab exercitu appellatus est.

Diximus Sabazia celebrari circa mensem Octobrem, aut Novembrem. Argumento etiam potest eſse nummus *Asia recepta* inscriptus. Nam ſi debellatum est ad Actium ineunte Septembri, ut ferè omnes consentiunt, pronum est colligere Asiam Epiro proximam fuiſse receptam ab Octavio Caesare instantibus Sabaziorum ſolemniis, quibus ille praefuit, dum per legatos victricibus armis Armeniam recipiendam ingrederetur, ad conficiendum in Aegypto bellum quamprimùm advolaturus. Tunc temporis conflatus videtur argenteus apud Patinum in famil. denarius iste:

P. PETRON. TVRPILIANVS III-VIR. Caput Liberi hederaceâ coronâ redimitum, ſiniſtrorsùm.)(CAESAR DIVI F. ARME. CAPT. Armenus patrio more vestitus, procumbit ſupplicantis ritu, ſiniſtrorsùm. Pietatis monumentum Octavii Caesaris Sabazia post Asiam receptam celebrantis, dum ſua interim virtute Armenos ad deditionem per legatos compelleret. Hinc et alter ibidem denarius:

L. AQVILIVS FLORVS III-VIR. Galeato Virtutis capite, ſiniſtrors.)(CAESAR DIVI F. ARME. CAPTA. Armenus, qui ſupra.

Receptam itaque Asiam epigraphe nummi, et receptae Asiae tempus demonstrant obsignatae nummo figurae; quae tamen accipiendae non ſunt in Asiae ſymbolum. Illud enim in aliis numismatis Asiae nomine inscriptis reperiendum foret, ſi, ut Aegypti crocodilus, ita Asiae ſymbolum eſsent ſerpentes gemini cistam aut vannum complectentes. Et haec habui dicere de inscripto *Asia recepta* nummo, nova fortè, strictim delibata, ſed aliquando ſuo loco, ac tempore majori in luce collocanda.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. In corona laurea.)(ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Lauri duae, cistâ intermediâ. Est hic nummus ex aere minimae molis in

gaza Lebretiana, signatus Caesareae in Palestina, ut ex ipsius fabrica conjicere est. Phornuto, Bacchus plantarum et arborum tum praeses, tum dator. Benefico Deo sacra fuit laurus, quòd ea mortalibus arbor benefica. De Cista operta, quam initiationis divinae gravidam Nonnus appellat, jam satis multa.

IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. Capite laureato, sinistrorsùm.)(PON. MAX. TR. P. COS. VI. Victoriae signum cistae mysticae impositum, dextrorsùm, inter duos angues mutuis spiris implicitos. Est hic ex argento apud Oiselium, et in gaza Rothelina.

T. CAESAR IMP. VESPASIANVS. Laureato capite.)(PONTIF. TR. P. COS. IIII. Typus idem qui in Vespasiano. Argenteus quoque apud Oiselium.

Utriusque hujusce nummi interpretatio, non minùs quàm similis alterius in Augusto, eruditorum animos exercuit, et quidem, dicere si ausim, parum feliciter. Vitellianum bellum in illis nummis Gevartius, Judaïcum Rubenius nequicquam reclamitant. Obsoleverat quippe Coss. Vespasiano VI. Tito IV. utriusque, quod memorant, belli memoria, nec erat quòd praeter morem refricaretur. Ineunte imperio, si rerum Romanarum scriptores audias, per legatos Mutianum, et Antonium oppressit Vespasianus Vitellianos ad Cremonam U. C. DCCCXXII. Titus verò Judaeos exeunte anno sequenti. Totus est in conjectando Hemelarius [a]: fluctuans animo *aliis dispiciendum relinquit utrùm hi nummi per angues designent, non obstantibus obsibilantium, sive obtrectantium linguis, victoriae ejus*, Vespasiani scilicet, *gloriam et honores in stabili et securo positos: utrùm prudentia utriusque principis, quae per duos serpentes designari potest, partam ab hostibus victoriam: utrùm saluti principum, cujus symbolum serpens, statuam victoriae erectae: utrùm concordia principum, per duos angues designata, victoriam in stabili et eminenti velut ara collocatam et consecratam*. Nodum in scirpo videtur quaerere, qui talia commentatur. Ex probatis superiùs, ad obviam utriusque, de quo agitur, numis-

(a) In numm. Impp. ex auro, pag. 38.

matis enodationem deducimur. Victoriam de Asiaticis, aut in Asia saltem, et quidem circiter Sabaziorum tempora reportatam a Vespasiano Cos. VI. et Tito IV. anno Christi LXXV. demonstrant hi nummi. Quae licèt victoria rerum Romanarum scriptores latuerit, ab altero tamen asseritur ejusdem Vespasiani nummo.

IMP. CAES. VESPASIANVS AVG. Capite laureato, sinistrorsùm.)(PON. MAX. TR. P. COS. VI. Victoria cum palma et corona prorae navis insistit, dextrorsùm conversa. Est ex argento apud Ill. D. de Mazaugues.

ATT. KAIC. AI. ANTΩNINOC. Capite laureato, ad humeros cum paludamento, sinistrorsùm.)(NIKAIEΩN. Cista mystica, quam complectitur serpens, erecto supra cistam capite. Ex aere tertio apud D. Cary.

M. Aurelii Antonini.)(NIKAIEΩN. Serpens exilit è cista. Ex aere mediocri apud Vaillantium.

L. Veri.)(KIBΥPATΩN. Cista duobus obsessa implicitis serpentibus. Ex aere minimo ibidem.

Commodi.)(ΠEPΓAMHNΩN. Typus serpentis è cista erumpentis.

IMP. C. M. AVR. COM. ANT. Capite laureato, sinistrorsùm.)(CEBACTHNΩN CΥP. L. CIS. Cista inter duos angues. Uterque nummus ex aere minimo: hic in gaza Medicea, et apud Norisium; ille apud Vaillantium.

Π. CEΠT. ΓETAC. Capite nudo, ad humeros cum paludamento, sinistrorsùm.)(AΓXIAΛEΩN. Serpens e cista semiaperta prosilit. Ex aere tertio in Thesauro Saxo-gothano.

Mameae.)(EΠI APX. Γ. ACIN. NEIXOMAXOΥ ΦP. CAPΔIANΩN B. NEΩKOPΩN. Hinc, spica: inde, papaver; in medio, cista e qua serpens exilit. Est ex aere magno apud Occonem.

Gordiani Pii.)(KIBΥPATΩN. Cista. Apud Harduinum, ex aere quidem tertio.

Ejusdem Principis.)(MAΓNHTΩN EBΔOMH THΣ AΣIAΣ. Corona smilacea, in qua Bacchus puer insidet cistae, quam serpens complectitur. Ex aere mediocri apud Patinum. In co-

mitiis Asiaticis Sabaziorum causâ habitis, septimum locum Magnesia obtinuit, quae septima ideo hìc dicitur Asiae civitas. Smilaceam coronam inter Baccharum ornamenta recensent Plinius, et alii [a]. Si Bacchum insidentem cistae nolis agnoscere, juvenem appelles, per me licet, Orgiis initiandum. Ad intima mysteriorum arcana non admittebantur, nisi quos longa annorum series, et interstitia per varios initiationis gradus provexissent. Primis juventutis annis initiandorum in albo referri oportuit, ut emenso diuturniori tyrocinio ad ultimam initiationem maturus virili tandem aetate censeri quis posset. Tertullianus contra Valentinianos de variis initiationis gradibus, eorumque interstitiis disserens, haec habet: *Quos primis minoribus initiari contigisset, iis opus quadriennium expectare; quos secundis, triennium; quos tertiis, biennium; quos quartis, unum tantùm annum; idque minimum omnium intervallum erat. Rursus eodem libro: Idcirco et aditum priùs cruciant, diutiùs initiant quàm consignant, cùm ad portas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis aedificent ..... attentè custodiunt quod tardè invenitur. Caeterùm tota in adytis*, (potuit et dicere in mysticis cistis) *Divinitas; post tot suspiria ad portas, et totum signaculum linguae, simulacrum membri virilis revelatur.* Inter initiatos multiplex ordo: Ἱεράκος, Ἱεροφάντες, Μύησις, Μυσταγώγος, Τελετὴ, Μυστήριον, Τελούμενος, Ἐπόπτης, Βέβηλος. &c. Quod fortè primaevae Ecclesiae Christiani imitati sunt, dum ad Religionis verae mysteria initiandos distinguebant inter Cathecumenos, Audientes, Competentes.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ ΑΥΓ. Laureato Philippi junioris capite, ad humeros cum paludamento, sinistrorsùm.)(ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΒΕΛ. ΑΠΑΜΕΩΝ. Leo gradiens dextrorsùm conversus: in vertice, cista: latere nummi dextro, thyrsus. Ex aere maximi moduli in Thesauro Regio, apud Falconierium [a], et Monterchium [b]. Sunt et Commodi, et Philippi senioris nummi similes Apameae signati. Acceptae

[a] Plin. Lib. XVI. cap. XXXVI. Athen. Lib. V. Eusipid. in Bacchis.
[a] Dissert. de Numm. Apamensi. [b] In Numm. Card. Carpegnae.

ceptae a Rhea puerilis institutionis Bacchum non poenituit. Illâ magistrâ eò pervenerat, ut peritior alter nullus haberetur, qui solertiùs leones ad currum jungeret, cursu caperet, sagittis conficeret [a]. E quatuor supra viginti leonibus Philadelphica in pompa productis, discimus, Baccho dicatum id genus animal, cujus formam saepiùs ipse ementitus fuerat, dum a piratis captus, in navi vinculis frustra vinciretur, aut ubi manus cum Deriade consereret, aut in Gigantes pro Jove pugnaret. In Catanensium nummo apud Parutam, Bacchus e cantharo vinum infundit in os leonis. In aliis Leontinorum, Sardianorum &c. hinc caput Bacchi, inde leonis. Alter ab Harduino memoratur Nicaeensium leonem cum cantharo exprimens.

Caput Bacchi diademate, et coronâ hederaceâ cinctum, sinistrors.)(ΑΜΙΣΟΥ. Cista spoliis leoninis operta, cui thyrsus incumbit. Ex aere minimo apud Goltzium in Graec. insul. et D. Croichetium.

Fueritne in usu positum ut mystica Orgiorum cista leoninis amiciretur exuviis, dubium non relinquunt plerique nummi, in quibus laevâ manu leoninis spoliis onustâ passim Bacchus occurrit.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Capite diademato Alexandri Magni, sinistrorsùm converso.)(ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΝΕΩ. Emergens anguis e cista. Ex aere mediocri nummus sub Sev. Alexandro Imp. signatus, apud Goltzium Tab. XXXIV. et Pedrus. Tom. VIII. Tab. XI. n°. IIII. In alio simili apud Patinum: ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΙϹ ΝΕΩΚΟΡ.

Ad hos nummos Alb. Rubenius [b]: *cistam mysticam nummis suis inscripserunt Macedones, quia et ipsi Orgia apud se inventa gloriabantur.* Gratisne, an probabiliter tantùm id asseratur, profectò non liquet. *Hinc et Bassarides feminae Bacchi comites peculiari significatu vocantur* Μακέται, *ut constat ex Eustathio.* Sic ille. Fuerit illud hujusce regionis incolarum, atque Bacchantium nomen, nil moror; sed Europaeis Macedonibus

[a] Nonnus Lib. IX. (b) De numm. *Asia recepta.*

antiquius, ideoque longiùs accersendum contendo. Natum est nomen illud in Asia minore, quae tota feré, quanta patet, appellata est Macedonia. Plinio, Lib. V. Macedones Cadueni sunt in Lydia, Macedones Kyrcani in Jonia, Macedones Arschilacae in Aeolide, Mysomacedones in Mysia. Circumferuntur etiam nummi veteres M. Aurelio Imperante signati Docimensium Macedonum in Phrygia, Commodo, et Philippo seniore Hyrcanorum Macedonum. Quas quidem gentes communi Macedoniae nomine usas fuisse, vel etiam Artaxerxis Persarum regis temporibus constat ex Estheris libro [a], ubi dicitur: *Aman filius Amadathi, animo et gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine... hoc cogitans ut regnum Persarum transferret in Macedonas.* De Europaeis Macedonibus haec verba non esse accipienda certum est, quòd illi, tunc temporis, angustis Emathiae terminis contenti, nullius prope essent nominis, nec propter locorum intercapedinem, suarumque angustias virium Persis uti adversis potuissent, aut voluissent. Macedones ergo Estheris ii sunt populi, qui universam ferè Asiae minoris oram maritimam, mediterraneumque tractum latè incolebant. Ab eis profecta colonia, centum circiter et quinquaginta annis ante Assuerum Artaxerxem, emenso mari Aegeo appulit in Emathiam, ubi tum primùm jacta sunt regni Macedonici sedes, atque fundamenta. Colonos illos fuisse Lydos Macedonas suadet Lydius flumen a novis sic denominatum incolis in memoriam Lydiae patriae suae. Strabo, Lib. XII. ait Lydiae populos post Trojana tempora in Europam commigrasse: quae sanè commigratio sententiae nostrae favere videtur, praesertim cùm Asiaticos Europam pervasisse saepiùs, et coloniis frequentasse idem commemoret; ut sileam de Pelope [b], qui e Phrygia secum transvexit populos in denominatam a se Peloponnesum. Regionem hanc Macedoniae proximam nulli non notum. Sed de his aliàs in majori, quod molimur, opere. Macetarum Bacchicarum nomen ergo derivandum a Macetis, seu Macedonibus (verba sunt synonima) Asiaticis, a quibus colonias et Orgia non

[a] In calce operis v. 11. et 14. [b] Strabo Lib. VII.

Thracia modò accepit, ſed et Peloponneſus, et Creta, multoque magis ipsa Europea Macedonia. In ea, refert Lucianus [a] frequentes conſpici ſerpentes immani magnitudine, placidos admodùm et manſuetos, adeo ut a mulieribus alerentur, et cum pueris unà recumberent, et calcantes ſuſtinerent, neque commoverentur ſi quis illos ſtringeret; denique non ſecus ac infantes lac e papillis ſugerent. Id genus ſerpentis Macetis Orgia celebrantibus perquàm familiare. De Olympiadis cum hiſce ſerpentibus conſuetudine conſule Plutarchum in vita Alexandri M.

Ciſta in quam illabitur ſerpens, in medio coronae ex hedera et corymbis.)(ΚΥΔΑΙΩΝ ΑΡΙΣΤΟΚΛΗΣ. Templum rotundum, quatuor conſpicuum columnis, inter duos angues implicitos, et ſinuoſos, capita hinc inde efferentes.

Ciſta eadem.)(ΚΥΔΑΣ ΚΡΗΤΑΡΧΑΣ. Jupiter nudus dextrâ fulmen tenet, laevâ haſtam; inſiſtit duobus invicem implexis, ut ſupra, ſerpentibus. Nummus uterque argenteus apud Goltzium, Inſul. Graec. Tab. V.

Hos nummos ut interpreteris, adeundus eſt Strabo [b], qui recitat Cretenſium morem cum Orgiis Bacchi ſacra Jovis conjunctim celebrandi. Obiter advertendum Κυδᾶς non oppidi proprium, ſed viri nomen, quale Polybius, Livius et Tullius reponunt [c]; quod pariter de Ἀριστόκλης nomine dicendum. Vidimus in Chiorum nummo Ἀριστόκλην alium Praetorem, ſeu magiſtratûs munia obeuntem. Κρητάρχας, Doricè, pro Κρητάρχης: ea eſt dignitatis appellatio, qualis Ἀσιάρχης, Βιθυνιάρχης, Λυδιάρχης. Cretarcham apud Cretenſes ſi non Prytanem, ſaltem Orgiorum praeſidem, ut apud Aſiaticos Prytanis, ne dubites.

Laureato ac ſenili Bacchi capite cum appoſito thyrſo ſerpentifero.)(ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. Serpens emergit e ciſta. Ex argento, ibidem.

Senili ac barbato oris habitu, laureâ coronâ, et implicito

[a] In Pſeudomante. [b] Lib. XV. [c] Polyp. exc. leg. Livius Lib. XLIV. Cic. Philipp. V.

hastae ſerpente persuasum fuit Goltzio et Harduino Aesculapium exhiberi. Mirum ſanè ; ecquis enim praelatam in Aesculapii ſacris cistam audivit, vel legit? Noviſsimus Deorum, et antiquiſsimus Liber [a], Juvenis non juvenis [b], juvenili modò, modò ſenili formâ depingebatur [c]. Laurus quare Baccho ſacra ſit, jam diximus.

Muliebri capite velato ad pectus cum stola, ſinistrorsùm : in ima parte, ſpica.)(ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. E cista ſerpens erumpit. Est ex aere tertio in gaza Medicea, et apud Gory in Columb. ſervor. et libert. &c. pag. XXI. et XXV.

Caput Bacchi pampinis redimitum, ſinistrorsùm.)(ΣΙΔΩΝΙΩΝ L. ΘΜ. Corona hederacea : in medio, ſerpentis e cista exeuntis typus. Sunt et alii ſimiles benè multi ex aere ſecundo, et tertio in gaza Lebretiana, apud Ill. D. Thomaſsin de Mazaugues, D. Cary, et alios inscripti ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ. cum diversis notis annorum, quibus ſignati ſunt.

Caput ſenile coronâ laureâ, et barbâ prolixâ insigne, ſinistrorsùm.)(Corona laurea in qua ingens littera X, cujus inferiora duo crura lineâ transversali efformant litteram A. adeo ut istud monogrammatis constet litteris AX. id est Αχαίων, in Graecia. In ſuperiore nummi parte, littera B ; in ima, M, inferiùs, cista mystica ; dextro latere, E ; laevo, A. Alter ſimilis habet cistam in ſuperiore nummi parte ; litteras verò in ima, MB ; a dextris, E ; à ſinistris, A. Argenteus uterque apud R. P. Mayre e Societate nostra, Maſsiliae.

His ſubnectendi quidam videntur alij nummi, nullâ licet cistâ insignes, ad Orgia tamen referendi.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΤ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡ. ΑΥΤΟ. Capite laureato,

[a] Phornut. in Bacch. [b] Jon Chius apud Athen. Lib. II. [c] Ita Diodorus, Lib. IV. et V. ubi de Baccho : duplici eſse videtur formâ, nunc barbâ prolixâ, antiquo barbam enutrientium more ; nunc ſpeciosior, juvenis, et ut ferunt, delicatus.

reato, ſiniſtrorsùm.)(ΝΕΟΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. L. Δ. Serpens erecto ſiniſtrorsùm capite ſpiras agit inter duas ſpicas, et duo papavera: lampas eminet ſupra ſerpentis caput. Aereus ſecundae formae argento mixtus apud D. Lebret, et Seguinum pag. 199. In alio ſimili Harduinus legit ΝΕΟ ΑΓΑΘΟ ΔΑΙΜΩΝ. Est et alter quoque ſimilis in gaza Lebretiana ſimpliciter inſcriptus ΑΓΑΘ. ΔΑΙΜ. L. Ε. Hoc numiſmatis genus in hanc ſeriem tranſtulit Ariſtophanis interpres, qui de ſerpentibus pariis agens, dicit eos adhiberi in Orgiis, et Alexandriae Aegypti obvios. Itaque cùm Aegyptiacus ſit nummus, Alexandriae totius Aegypti in metropoli ſignatus dicendus eſt; et Aegyptiorum Pammelia deſignata ſerpente celebrandis Orgiis uſitato. Haud abſimilem nummum videtur habuiſse prae manibus autor Culicis Virgilio adſcripti [a].

Commodi. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Taeda prorae navis impoſita, cui ſerpens implicitus. Ex aere minimo apud Vaillantium. Revocandus nummus ad Bacchum ſerpente; ad nocturna ejus ſacra, face accensâ; ad certamina ſacra de nocte, ut videtur, edita ſuper mare, prorâ navis.

Diadumeniani.)(ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠ. Calix oblongus in quo ſerpens bibit.

Sev. Alexandri.)(ΜΑΡ. ΕΥΓΕΝΟΥϹ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΗΟϹ. Serpens e cantharo proſiliens inter duas taedas accenſas.

Jul. Maximi.)(ΕΠΙ ϹΕΠ. ΜΕΝΕϹΤΡΑΤΙΑΝΟΥ ΑΡΧ. ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Cantharus e quo emergit ſerpens; hinc ſpica, inde papaver. Nummi ex aere mediocri apud Vaillantium, Harduinum &c.

Ad refricandam vini inventi memoriam conflata numiſmata, quae ſerpens, cantharus, taeda, ſpica, papaver Bacchi totidem ſymbola, pertinere ad Orgiaſticos nummos evincunt.

[a] Sic ille: *Immanis vario maculatus corpore ſerpens*
Squammoſos latè torquebat motibus orbes,
Jam magis, atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, et fert
Sublimi cervice caput, cui criſta supernè
Edita purpureo lucens maculatur amictu.

Z

Majori beneficio Liberum Patrem devinxerant ſerpentes, ut in partem vinolentorum illius honorum non venirent. Anguinum genus vini appetentiſsimum ſcitur [a]. Fortè cùm in anguem uvas helluantem Bacchus aliquando incidiſset, comestas ipse bene multas expertus ſuaves eſse, et habiles ad relaxandas animi curas, excolendae viti incubuit [b]. Beneficii memor ſacrum ſibi ſerpentem voluit, et omnia ſibi cum illo communia. De cantharo Val. Maximum adi, Lib. III. cap. VI. ubi de Mario.

Plura id genus numiſmata in medium ſi non proferantur, brevitatis ergo, non materiae vitio, vel raritate factum putes. In immenſum creſceret hoc noſtrum qualecumque πάρεργον, ſi per ſingulos excurrendum nobis foret nummos a populis et civitatibus in Bacchi honorem ſignatos, adeo varii ſunt. In hac illorum tamen varietate, qui in introſpiciendis nummis paulò attentior fuerit, omnia Divinitatis attributa in Bacchum a veteribus collata fuiſse mirabundus percepturus est.

XIV.

De nummis ſerpentiferis.

Impreſsorum veteribus nummis ſerpentium frequentia videtur a nobis requirere, ut coronidis ad instar, de ſerpentiferis nummis nonnihil agamus. Rem, nec enim diffitebimur, arduam, quippe quae obſcura omnibus, et difficiles explicatus habere viſa est. Enimverò facilior in quo liberiùs exultaverit conjectura, nullus profecto campus ſi fuerit, cur noſtris quoque conjectationibus ille non pateret?

Asiaticorum dexteritatem in ſagittando deſignari auguratur Begerus [c] ſerpentibus obviis in eorum nummis. Hanc illi expreſsa in Cistophoro pharetra (nos vannum dicimus) ſuppetiit, aut ſuppetere potuit opinionem, cujus ſtabiliendae fautricem ſibi vindicat Herodoti ſententiam docentis Scythas

[a] Ex Aristotele, Mercurialis de Navig. Lib. III. [b] Nonnus Lib. XII.
(c) De numm. Cretens. ſerpentif.

peritiſsimos olim ſagittarios e dracone oriundos eſse. Longiùs hoc autem accersitum, quam ut collineare poſsit: idipsumque ſubodoratus est Begerus ipse. Etenim quoniam Cretensium ſerpentiferi ſunt, ſicut et Asianorum nummi, arguit ſuam ab Asianis Cretenses deducere originem. Bene equidem; ſed Asiaticorum insigne cur ſerpentes fuerint, hoc etiamnum Begero investigandum erit. Haud ipsi haeret aqua in conjectando eruditè non minùs quàm ſagaciter. Contendit itaque ſerpentem ab Asiaticis adoptatum in ſymbolum, quò ſignificarent aliunde ipsi ſuam ſe non referre originem, ſed, ſerpentum instar, e terra ipsa oriundos ſe eſse, terrigenas, αὐτόχθονας, et cum omnibus paſsim populis venire ſe poſse in contentionem antiquitatis. Talia, concedimus et nos, Asiaticè ſapiunt commenta. Sardis attritos equorum ungulis ſerpentes acceptos fuiſse memorat Herodotus Lib. I. in augurium futurae excisionis regni Lydici, ſubigendorum videlicet ab advenis incolarum. Serpentibus autem, qui e terra nati ſunt, denotantur incolae, eodem teste Herodoto. Felici adeo niti tamen non debuit conjecturâ Begerus, quem latere non potuit Asiaticos non unos αὐτόχθονας ſe ſe gloriari. Omiſsis bene multis Aegypti, Syriae, ipsius adeo Graeciae populis, vel ipsae Europae nationes plurimae, Scythae, Thraces, Ausones, Sicani idem ſibi decus, parem gloriam asciscebant. An ex nummis ſerpentiferis Amantinorum, Amphipolitarum, Bullionum, Caſsiopaeorum, Epidaurensium, Nicaeensium, qui etiam non rogati terrigenas ſe negabant, colligere quis velit eam istorum populorum fuiſse mentem, ut illo ſymbolo αὐτόχθονες haberentur? Apud Oiselium Tab. XVI. n°. 3. ex Hadriani nummo exhibetur Asia dextrâ praeferens ſerpentem, quem Asiae ſymbolum cave ne dixeris, ut jam monuimus; est enim Sabaziorum insigne, σημεῖον ὀργίων Βακχικῶν [a]. Provinciarum χαρακτὴρ, et insignia eadem ſunt in omnibus numismatis eas provincias exprimentibus. Sic Phrygia peculiari, et oblongo operta pileo, Mauretania cum equo, Arabia cum camelo et arboris thuriferae ramo, Pannonia cum ſigno militari, Hispania cum

(a) Clemens in Protrept.

cuniculo semper in nummis discriminantur. Igitur cùm caeteri nummi Asiam exhibentes apud laudatum Oiselium, et alios nullo insigniantur serpente, in Asiae symbolum non est accipiendus serpens ille (si tamen serpens sit, non verò arcus, aut quid simile) ab Oiselio prolatus. Quid quod idem autor ad nummum Commodi quartum, Tab. LXI. Africam scribat serpente designari: adeo non Asiae symbolum serpens est. Fluctuantem animo Begerum haec denique revocat opinio, fuisse nempe persuasum Asiaticis genus se deducere a veris et naturalibus serpentibus. Eò quidem devenerant insignes viri quidam, Alexander Magnus, Aristodemus, Aratus, quos imitati sunt Scipio, Augustus, Maximianus, ut atavis numinibus serpentum formam indutis natos se jactitarent. Nec minora de se praedicasse Asiaticos Priapenses testis est Strabo [a], qui procul dubio singularem hanc Priapensibus incolis non adscripsisset opinionem, ea si ad totam Asiam pertinuisset.

Sunt etiam qui suspicantur serpentum nomini, antiquis vigentibus linguis, vicinum fuisse nomen priorum Asiae incolarum, Asiaticosque Heveis aut Rhodanim prognatos esse potuisse, quoniam *Hevia*, et *Rod* idem phoenicè sonant, ac serpens latinè. Sed quorsum evasura non sit haec conjectandi licentia, per quam liceret jam Aquilonarium regionum eruditis Asiaticos populos ab Hyperboreensibus deducere? Habebunt quò sua eos deducat conjectura. Eadem quippe Septentrionalium incolarum erant insignia, ipsaeque serpentum formam referunt Runicae inscriptiones. Accidit omnino perincommodè, quod id genus argumenti latuerit Olaum Magnum, Albertum Bremensem, Wolfangum Lazium &c. Quid plura? Prognatos vel ipsis e Titanibus Asiaticos asserere nihil vetabit, quandoquidem feliciùs designari non potuerunt quàm serpentibus e terra oriundis Titanes, quorum nomen eandem demonstrat originem. Subjecta notio Celticae voci *Tit*, terra est. Talia opinanti favebit Diodorus Siculus: eo ariolante serpentibus designantur Titanes, quorum ideo imagines obtortis cruribus effingebantur; unde anguipedes a Nazone dicti [b].

—— *qua*

[a] Lib. XIII. (b) Metamorph. I.

— — qua centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia coelo.

Felicitatem, annonam, libertatem, imperium, victoriam, pacem, salutem serpentibus designata fuisse antiquitùs nemo nescit. Hinc commodum alicui visum est dicere serpentiferis suis numismatis Asiaticos tantorum bonorum compotes haberi voluisse. Ecquis est autem qui nesciat Asiam, postquam in Romanorum potestatem venit, caeterarum ad instar nationum provinciae Proconsularis formam suscepisse, atque populatam saepiùs, et vexatam direptionibus Proconsulum, qui ad eam administrandam ab urbe mittebantur? Argumento sunt P. Rutilius Rufus, Cn. Dolabella, Terentius, Varo, L. Valerius Flaccus &c. ex Asia, cui praefuerant, repetundarum accusati. Potuitne igitur fieri, ut in tantis, ac prope diuturnis rerum ac temporum angustiis serpentes suis nummis expresserint Asiatici, ad suam sibi gratulandam felicitatem, annonam, libertatem, imperium, victoriam?

Volunt alii serpentum in tutela fuisse salutem Populorum, quorum serpentiferi sunt nummi. Animis hominum eò usque inditum erat serpentibus inesse divinum quoddam, ut ipsi Deorum interpretes haberentur, atque praesentia terris numina. E plurimis qui divinitatem in serpentibus venerarentur, celebris est Taautes ille, de quo Eusebius. Insulsitatem opinionis illius ex Phoenicum Theologia depromptae, quam in gentilibus vix ac ne vix quidem concoquendam ducimus, in hominibus Christianae religionis lumine perfusis sanus quis toleranter ferat? Deceptorem Evae serpentem, ipsummet Dei Optimi Maximi filium fuisse somniabant primis Ecclesiae temporibus Ophitae Neoterici. Serpentibus a natura comparatam altiorum fidei mysteriorum cognitionem Paracelsus concedebat. Usque adeo verum est portentosas quasque ineptias ab humana mente non esse alienas!

Opinio est apud alios habuisse usum serpentes in sacris ritibus ad retexendam primi peccati historiam: e sacris deinde ritibus traductos fuisse in ferias Bacchi, et adorandos exinde hominibus expositos. Ea quippe videtur opinio Clementis Ale-

xandrini [a]: Dionysium Maenolen, ait ille, Orgiis Bacchi celebrant, crudarum carnium esu ſacram peragentes insaniam, et caesarum carnium divulsionem peragunt coronati ſerpentibus, Evam ululantes, Evam illam per quam error est consecutus. Et ſignum Bacchicorum mysteriorum est ſerpens mysteriis initiatus. Jam verò ſi accuratè ſpectetur vox Hebraïca, nomen Evae aspiratum exponitur ſerpens femina. Haec ille. Fieri potest ut inde fortaſsis evare Latini, et εὐάζειν Graeci finxerint. Ita ſanè factum tamen, ut qui ad peſsundandum genus humanum ſerpentis formam ementitus fuerat, peſsundatos jam ad ſui cultum accersiverit homines hâc eâdem formâ concitando odio, quàm conciliandae reverentiae accommodatiore.

Serpentiferis nummis ſignificatam populorum in Bacchum pietatem alii interpretantur. Sacros Libero Patri ſerpentes fuiſse diximus; at non uni Baccho, quandoquidem et Jovi, Soli, Neptuno, Apollini, Cybele, Junoni, Minervae, Cereri, Proserpinae, Mercurio, Plutoni, Aesculapio quoque communes. Ergo ulteriùs progrediendum est, et ex Mythologiae arcanis evincendum unius Bacchi proprium fuiſse ſerpentem.

X V.

Serpentibus Bacchum designari.

Nec affirmare dubitem multis veterum Theologiae ſuae receſsus intimos edoctis persuasam fuiſse Dei unius et ſolius naturam, modificatam tamen a rudi vulgo divinitatis attributa totidem in Deos erigente: Jovem, Mercurium, Apollinem, Plutonem, Neptunum, Dianam, Cererem &c. variam eſse unius atque ejusdem numinis appellationem [b], a multiplicibus variisque ejus effectibus, et in homines beneficiis petitam, atque ad unum et ſimpliciſsimum numen totius boni fontem referendam: majestatem, potentiam, felicitatem,

[a] In Protrept. [b] Laert. in Zenone Lib. VII. Plutarc. de Inscr. Delph.

concordiam, victoriam, salutem, providentiam, aeternitatem &c. sub cognominibus Jovis, Apollinis, Mercurii, Junonis &c. significatam illius unius numinis proprium esse genus et naturam: numen illud, quod per omnia diffunditur, cujus beneficio omnia vigent, ipsum esse Bacchum.

Praetermissis veteri Sybillâ Platoni, et Aristophani saepiùs commendatâ, Hesiodo, Xenophane, Menandro, Parmenide, Dei, ut aïunt, unitatem celebrantibus: indictâ etiam Stoïcorum scholâ [a], quae unum, eumque solum, neglectis caeteris, et ad populum ablegatis numinibus, Deum venerata est, Orpheus nobis erit omnium instar. Huic [b] Deus est unicus, a se, omnium creator et artifex, supremusque arbiter. Quaerenti ab eodem quis Deus ille sit, Bacchus, inquit, procerum omnium coelestium rex, et imperator, μεδέων βασιλεύταῖος πάντων: [c]: Deorum pater θεῶν πάτερ: omnipotens, παντοδυνάστας: omnibus Diis et hominibus adorandus, τετιμένος πᾶσι θεοῖς καὶ θνητοῖς: Diis formidandus, φόβος θεοῖς: immensus, ὃς ἑλισσόμενος περὶ πάντα: Deos et homines pro arbitrio procreans, οἷς ἐθέλεις θνητῶν ἠδ' ἀθανάτων ἐπιφαύσκων: celebris, maximus, et plurium nominum Genius, πολυώνυμος δαίμων.

Orpheo consentiunt nummi veteres, quos ex Orphico penu depromptos fortè dixeris, adeo feliciter divinitatis attributa omnia in Bacchum refundunt.



ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΩΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. Neronis caput.)(ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Attio Lacone*

[a] Laertius loco cit. [b] Apud Justinum, Exhort. ad gent. [c] Hymn. XLIV. et sequent. in Bacch.

Proconsule. Serpens cistam arae impositam complectitur ; dextro nummi latere, capricornus sinistrorsùm conversus cum globo supposito ; sinistro latere, thyrsus ; in medio, cornucopiae ; in vertice, corona ; in ara scriptum legitur, ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ, *Nicaeensium* ; in cista, ΝΕΡΩΝΟΣ, *Nerone* scilicet Prytane, ut videtur. Est ex aere magno nummus, sed mutilus apud Patinum in Suetonium, Vaillantium, et in Actis Acad. Reg. Inscript. Tom. III. pag. 315 ; restitutus tandem e delineationibus Morellianis (famil. Attia) in Bibliotheca Saxo-gothana.

Non Orgiorum sacra, quae initiatis tantùm aperienda erant, sed cistam sacrorum capacem profanis oculis objicit hic nummus. Adumbratam voluerunt Nicaeenses Bacchi divinitatem arâ : ejus aeternitatem serpente cistam ambiente ; religionem ab eo acceptam cistâ arae impositâ. Theocrito (*a*), extruxerunt aras Baccho, et sacra e cistis educentes, ea imposuerunt aris, sicut docuerat Bacchus. Exprimi quoque potuit Bacchi immensitas complectente cistam serpente. Cista circulari suâ formâ circulum imitatur. Veteres autem ut ostenderent mundum esse plenum Deo, et ejus numen circumquaque diffusum, utebantur circulo, cujus in medio serpens : ita nimirùm, ut circulo mundum, serpente autem *Bonum Genium* significarent (*b*). Naturae et elementis leges sanciente thyrso, suprema Bacchi, nullisque impedibilis impedimentis potentia, significatur. Bacchum thyrso regnantem appellat Orpheus. Thyrso fluvios Orontem et Hydaspen tactos, atque exsiccatos trajecit (*c*), vinique fontem aperuit rupe thyrso divisâ (*d*). Euripides in Bacchis simile quid contigisse narrat Maenadi, quae aquam e petra thyrso percussa eduxit. Thyrso nux pinea insistit. Eâ autem designabant Graeci summum Bacchi dominium in cor humanum, cujus Bacchus praeses dicebatur (*e*). Bacchi numen ubique diffusum : ejus beneficio vigere, conservari et gubernari omnia, quae aere, terrâ, marique continentur, capricorno globum moderante arguitur ; aereum enim, terrestre, et aquatile id genus animalis est, signum coeleste, caper, et piscis.

[*a*] Idil. in Bacch. [*b*] Philo Bybl. apud Euseb. praep. Lib. I. cap. x. [*c*] Nonnus Lib. XXIII. [*d*] Idem. Lib. XLVIII. (*e*) Suidas voce Κωναφόροι.

et piscis. Ex Orphica Theologia Macrobius de Libero agens: *ideo*, inquit, *in illorum ſacris traditur Titaneo furore in membra diſcerptus*, *et fruſtis ſepultis rursùs vivus et integer emerſiſſe*, *quià νᾶς*, *quem diximus mentem vocari*, *ex individuo praebendo ſe dividendum*, *et rursus ex diviſo ad individuum revertendo*, *et mundi implet officia*, *et naturae ſuae arcana non deſerit.* Platonicis, adnotante Bochardo, Geogr. ſacr. Lib. I. cap. XVIII. obſervatum est ab Orpheo Lunae ſphaerae praefectum fuiſſe Bacchum Licniten, Veneris ſphaerae Bacchum Lisium, Solis Trietericum, Martis Baſſareum, Jovis Sabazium, Saturni Amphietem, octavae ſphaerae Pericionium, nonae denique Eribromon, adeo ut Bacchus omnibus unus et ſingulis planetis, ſeu orbi universo dux et rector adeſſet. Quod expreſſum crediderim apud R. P. Monfauconium, Antiq. Tom. I. Part. II. Tab. CXLIII. ubi Bacchus globo stellato insidet, quem navis temone gubernat. Hinc Alexander Magnus acceperat Arabas duos tantùm Deos colere, coelum, et Bacchum (*a*), ſeu Bacchum coelestem et terrestrem; nam Bacchus Uranius, Coelestis, Ignigena, Purigenes dicitur. Inter ſymbola potentiae divinae, quae rebus omnibus ortum impertitur, et providentiae, quae res ortas moderatur et conservat, medium jacet cornucopiae, ut ostendatur bona omnia in homines ab autore et conservatore Baccho derivari. Hinc juxta Eusebium (*b*) fructuum et plantarum omnium virtus Bacchus vocatur. Ita quoque leges, ſcientias, artes ab eodem profectas corona deſignat. Excellentium olim virorum corona praemium: coronarum autem inventor Bacchus.

Nycae in Bythinia ſignatus est nummus, dum ibi Nero Sabaziis, ut videtur, intereſſet, et fortè Prytanis partes ageret. Nihil huic Imperatori commune cum figuris in nummo expreſſis, nedum cum capricorno, quem ſcias velim, Bacchi proprium eſſe, ut evincit Tristani nummus alter (*c*), in quo Deus capricornum tenet. In interpretandis Imperatorum et Caesarum frequentibus nummis capricorno insignitis haerebit tibi

[*a*] Arrian. Lib. VII. [*b*] Praep. Evang. Lib. III. [*c*] Tom. II. pag. 207.

aqua in dicendo, si ad natale Augusti signum confugias. Ergone sub capricorno sydere nati sunt plerique omnes Imperatores Romani, aut ab Augusto oriundi? Alterutrum dixeris, vel ipsos rerum Romanarum sarcinatores, quos fortè objeceris mihi, tibi adversarios nacturus es. Si Augustus gloriae aut felicitati duxerit natum se fuisse sub capricorno, caeteri cur Imperatores sub ariete, aut cancro, aliove sydere natos se gloriati non fuerint, explices velim.

ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. Capite laureato ad pectus cum paludamento, sinistrorsùm.)(ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ ΑϹΥ. ΝΑΥΑΡΧ. Bacchus pampinis coronatus, et amictus nebride stat dextrorsùm; dextrâ botrum tenet, laevâ thyrso innixâ: ex adverso tripus supra quem urna ingens, e qua emicant caduceus, palma, spica, acrostolium; in urna inscriptum legitur ΘΕΩΓΑΜΙΑ; pro pedibus Bacchi, panthera. Ex aere maximi moduli in gaza Lebretiana, et in Select. Num. Abb. de Campo. pag. 110.

Expressusne fuit in eo numismate Bacchus Sabazius, quòd filius haberetur Plutonis et Proserpinae, quorum nuptiae ludis Theogamiis celebrabantur? Longè alterius fuisse sententiae videntur Coryciotae. In honorem nuptiarum Plutonis et Proserpinae si fuerint ab eis acta Theogamia, cur Pluto, Proserpinave in eò non exhibentur nummo? cur Bacchus unus? Hujusne quàm illorum potiores sunt partes in ludis illis? Vindicanda sunt igitur uni Baccho Coryciotarum Theogamia, et de caeterorum omnium Deorum proprietatibus in Bacchum unum coalescentibus, et ab eodem in caeteros omnes divisim emanantibus interpretanda. Ut vir et uxor unum sunt corpus morale, membra unum physicum, ita Bacchus et omnes Dii, seu omnia ejus attributa, unus est idemque simplex Deus. Hinc nummus non inscribitur ΘΕΟΓΑΜΙΑ, sed ΘΕΩΓΑΜΙΑ, quasi ΘΕΩΝ ΓΑΜΙΑ. Deorum, seu totius Divinitatis in Bacchum conjunctio, quae hisce ludis apud Coryciotas celebraretur. Huic sententiae favere videtur allatus non ita pridem Coryciotarum nummus alter cistâ commendandus. Favet

etiam Ausonius (*a*): favet mos Pythagoraeorum ille eâdem Bacchum, quâ Divinitatem triangulari formâ exprimendi (*b*). Mitto aſsertum Plutarchi pluribus evincere conantis Deum Hebraeorum eſse Bacchum ipsum, Judaïcasque caerimonias cum Orgiasticis convenire (*c*). Quod cùm plusquàm stultum sit, caeteris tamen adjunctum argumentis indicat Bacchum Deorum antiquiſsimum confictum fuiſse ab hominibus ideas Dei unius, Optimi, Maximi penitus nondum obliteratas retinentibus. Contendit etiamnum Nonnus in Bacchum collata fuiſse pleraque omnia veri Numinis cognomina, quae ſuo etymo non aliunde quàm e ſacris Scripturae fontibus accersita demonstravit Bochartus (*c*).

Bonum Genium Orpheo dici Bacchum vidimus. Fuit illa nempe apud veteres eruditos Baccho propria Genii denominatio. Graecorum moris erat, teste Pausania, Lib. XV. cùm vinum inferretur mensae, elato clamore Bonum Genium invocare, ſeu Bacchum vini inventorem. Plura non vacat veterum recensere testimonia, nummis rem planè conficientibus. Bacchi Genii in eo Neronis numismate jam appellato nemo non agnoscat insignia.



(*a*) Epigr. XXIX. ubi ſic ille: *Ogygia me Bacchum vocant,*
Osyrim Aegyptus putat,
Mystae Phanacem nominant,
Dionysia Indi existimant,
Romana ſacra Liberum,
Arabica gens Adoneum,
Lucaniacus Pantheum.

Lucaniacus ab aliis ſumitur pro Lucania, in ultima Italia; ab aliis pro villa Ausonii, quam fuiſse dicit Elias Venetus [in Ausonium] paullùm ſupra Liburniam, et confluentem Duranii et Lillae. Ad Pauliacum vicum prope Burdigalam. *Lucanum fundum* Paulinus appellat. [*b*] Plutarc. de Iside et Osir. [*c*] Sympos. Lib. IV. Quaest. V. [*d*] Geogr. ſacr. Lib. I. cap. XVIII.

Geniorum genus duplex apud veteres. Alius universalis, omnium antistes, ac ſupremus arbiter: caeteri ſpeciales qui Praestites etiam dicti ſunt. Istorum quoque partitio multiplex: alii velut Legati, aut Tribuni populorum, regionumque curam gerebant: alii quasi Centuriones collegiorum, vicorum, oppidorum: alii denique gregarii totidem tanquam milites ſingulorum hominum, locorum, arborum &c. Ita lapides et nummi: *Genio Populi Romani. Genio Senatus. Genio Coloniae. Genio Augusti. Genio fontis* &c. Vitae ſalutisque hominum custodes isti, morum censores ac magistri, propriique et unius ſui muneris atque officii tenaces. Non ex alio quàm divinarum Scripturarum fonte ideas illas de Geniis hominum, regionumque custodibus hauserunt Aeneas Gaza, Apuleïus, Seneca, Stoïci. Nil nobìs hìc cum circumforaneis ìllis Geniis. De universali altero caeterorum parente atque imperatore haec D. Augustinus (*a*). *Quid est Genius? Deus est, inquit Varro, qui vim habet omnium rerum gignendarum*, ſeu, gerendarum, ut Festo placet, et aliis, quibus Genius ille maximus etiam dicitur parens hominum, conditor rerum idem et administrator ac custos, animus per naturam rerum omnem intentus et commeans. Hinc toties audit apud veteres *λύσιος Δαίμων αγαθοδαίμων*. Genii illius universalis, maximi, ſeu divinitatis ipsius ſymbolum fuiſse ſerpentem Neroniano nummo expreſsum, adjunctorum ſuorum expositione deducitur.

Experte ſenectutis ſerpente aeternitatem Genio universali, ſeu Deo propriam et naturalem, ab omnibus retro ſaeculis, etiam a Platone adumbratam ſemper fuiſse consentiunt omnes. Mens, et vis intelligendi infinita, quae divinitatem competit, erecto declaratur ſerpentis capite, quod ideo quandoque humanum est in nummis ΙΩΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ; quandoque cristatâ coronâ nobilitatum, in nummis ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΕΙΤΩΝ ad testificationem ſupremae potestatis et imperii; quandoque radiis cricumdatum, in nummis ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, ΟΓΑΠΙΑΣ ΠΑΤΤΑΛΙΑΣ, ad adumbrandam naturam divinam. Genius, ſeu ignis ille aeternus ambiens et circulans, omnia

[*a*] De Civit. Dei, Lib. VII. cap. v.

omnia ignitâ et ſempiternâ agitatione perpetuans (*a*), ex lampade ſerpentis capiti imposito facilè dignoscendus: illius moderatrix ſapientia in gubernando mundo, et curandis rebus humanis, conservanda humana propagine per caduceum attestata (*b*): providentia in nutriendis, multiplicandis frugibus, atque caeteris ad hominum vitam conducentibus per ſpicas delineata: bonitas et clementia in averruncandis hominum infortuniis, exaudiendis precibus, restituenda ſalute per papaver ſignificata. Plura dabit Uliſses Aldrovandus in historia Serpentum.

Serpentis autem Genii maximi imagine Bacchum delineari ex eo ſolùm non evincimus, quòd ut apud autores constat, ſerpens pro Baccho ſaepiùs acceptus fuerit, quòd eâ formâ, eo nomine Dionysius visus, cultus et appellatus, ſed etiam quòd eadem de Baccho, quae de Genio ſupremo praedicantur: breviùs dixerim, quòd Bacchi nomine et ſymbolis Ens ſimpliciter dictum, Deus, veteribus paſsim eruditis intelligendus venerit. Quod ut evincatur, nova quamquam non videantur requiri argumenta, allatis ſuperiùs rem planè evincentibus, praestat tamen Divinitatis attributa totidem in Deos ab indocta plebe aedificata refricare, ut quae ſua ſunt, ea tota ſibi Bacchus vindicet. Ita enim constabit potentiam, aeternitatem, providentiam, felicitatem, victoriam, ſalutem, justitiam, caeteraque id genus divinitatis propria, et variis ſub denominationibus, ut diximus, Jovis, Saturni, Cereris, Aesculapii &c. usurpata, ad Bacchum tanquam totius boni fontem ab ethnicis eruditis compluribus referri. Exinde quid ſibi velint frequentes adeo in veteribus nummis ſerpentes, nullo, ut videtur, negocio expedietur.

Deorum antiquiſsimum Phornutus Bacchum praedicat, Orpheus Perikionium, ſeu qui Saturni ſphaeram ambit, et moderatur: eundem nunc ex nummis aeternum.

ΚΩΙΩΝ. Caput Bacchi muliebriter ornatum, ſinistrorsùm, ad humeros cum stola.)(ΑΙΩ ΔΙΟΝΥϹΙΟϹ Caput, ſeu larva

[*a*] Firmicus Lib. V. Mathem. Heraclitus. [*b*] Ita Macrob. Saturn. Lib. I. Cap. XIX. *Argumentum caducei ad genituram hominum, quae genesis appellatur, Aegyptii protendunt,*

ſcenica (ludorum nempe comicorum quibus ortum dederat Bacchus) ſuper cistam, cum duobus thyrsis per transversum. Aereus est hic nummus ex aere tertio in gaza Lebretiana. Ad utriusque ſimilitudinem, et in eundem fortè ſensum accipiendus accedit Vibiae gentis denarius, Patino Tab. I. n°. 6. Vaillantio n°. XXI. ubi caput Liberae hederâ coronatum, ſiniſtrors. Pagina altera habet caput ſcenicum idem, eodemque modo dispositum ſuper aram, cum thyrso transverso, pantherâ pedibus anterioribus in aram insiliente, et circumscripta epigraphe: C. VIBIVS VARVS.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Caput Bacchi muliebri cultu ſiniſtrorsùm, ad humeros cum stola.)(ΑΙΑ. ΔΙΟΝΥCΙΟC. Aeolicè Α'ιὰι pro Α'ιών. Caput ſcenicum decumbens ſupra viminaceam cistam e qua ſerpens emergit: dextro nummi latere, ſpica. Ex aere quoque tertio apud D. Boule Maſsiliae.

Α'ιὼν Διονύσιος idem ſonat in recto casu, atque aevum Bacchicum. Nos latinè; Aeternitas Bacchi, quae potuit etiam denotari quatuor elephantibus in curru Liberum Patrem deducentibus, ex nummo aereo Gordiani Pii, ΝΙΚΑΙΕΩΝ. Aeternitatem elephante expreſserat in ſuis nummis Philippus ſenior, exemplo Ti. Caesaris Augustum, Neronis Aggripinam matrem, Titi Vespasianum, Trajani Nervam in Deorum numerum referentis. Nummus extat Antonii Pii ſignatus in Aegypto, inscriptus L. B. ΑΙΩΝ: adeo non primùm occurrit in nummis illa vox. Hìc tamen in eum ſensum deflecti potest quem praeferunt nummi Maxentii, *Aeterna felicitas*: Diocletiani, *Tempora felicia*: Hadriani *Saeculum aureum*. Utriusque numismatis figurae et convenientia vetant ne Διονύσιον Praetoris aut Magistratûs nomen proprium interpreteris. De ſerpente, Bacchi et aeternitatis ſymbolo omnibus noto non est quod agamus.

Totius, quantus quantus est, mundi Bacchus praeses et moderator ſupremus, omnipotens idem qui ſibi ſufficit unus, ſceptrifer invictus (a). Talem agnoscere est ſerpente designatum in Cretensium nummis, ubi ſuprema ejus potentia Jovis imagine

[a] Aristid. Orpheus in Hymn. Nonnus, Lib. XIX.

inter ſinuoſos angues stantis depingitur. Sic fulmen expreſſum est in Epheſinorum Cistophoro, in numiſmate Commodi mox appellando, et in alio Regio aeris ſecundi, ubi hinc duo capita barbata, laureata, et jugata; inde fulmen in medio coronae hederaceae, cum epigraphe ΑΜΞΙΡΩΓΑΝ. Sic πυριγενὴς ipse ignitus, fulgurator, et in ignem; dum in hostes depugnaret, conversus dictus est Bacchus (a). Gentium Romanarum Mettiae, Prociliae nummi divinam majestatem Junone repraesentant. In illis autem et pluribus aliis, cum Junonis Sispite imagine ſerpens plura in volumina contractus, et elato ſemper capite. Ita in Memmia gente, providentia Cerere adumbrata est. Apud Ill. D. de Mazaugues Aquis Sextiis, ſingularis extat ex argento nummus, quem in ſuis familiis desiderandum reliquit Vaillantius: C. MEMMI. C. F. QVIRINVS. Quirini capite laureato, prolixâ barbâ, ſinistrorsùm.)(IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST. MEMMIVS AED. CERIALIA PREIMVS FECIT. Serpens pro pedibus Cereris stolatae ſedentis, ſinistrors. converſae, dextrâ taedam tenentis, laevâ ſpicas. Est etiam maximi moduli aereus alter nondum vulgatus Faustinae Pii filiae, ſub imagine Cereris, in gaza Lebretiana: ΚΩΡΗ CΩΤΕΙΡΑ ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Capite Cereris ſpicis et gramine coronato, ad pectus cum stola, sinistrors.)(ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ara ſupra quam tres Δαδοῦχαι mulieres: hinc et inde ſerpens taedae accenſae implicitus. Vis quoque infinita Baccho, qui hominum judex et arbiter audit, ἀνθρώπων πρύτανις (b), ſceptro, ſeu thyrſo denotatur.

Caput Bacchi Bacchepaeanis, ſinistrorsùm.)(ΚΩΙΩΝ ΣΩΤΗΡ. Serpens baculum complectitur. In eo ſecundi moduli numiſmate aereo apud Ill. D. Lebret, quis non agnoscat thyrſum, ubi a Baccha in terram projectus est, in ſerpentem conversum, et obvolventem ſe Scipioni (c)? Alter ejuſdem cimelii nummus ex aere quoque mediocri habet caput Bacchi hederâ coronatum, ſinistrorsùm, et ΟΡΘΩCΙΕΩΝ. In pagina

(a) Nonnus, Lib. XXXVI. et XLVIII. (b) Jon Chius apud Athen. Lib: II.
[c] Nonnus Lib. XXXV.

altera tigris gradiens dextrorsùm, pede laevo thyrsum humero gestat; thyrsi apici globulus inest, seu ovum in Orgiis Baccho omnipotenti, Plutarcho assertore (*a*), consecrari solitum, ut exemplum omnia gignentis, et in se continentis.

Genius ille Bacchus noctis et diei regit fines, interdiu lumen praeferens, noctem aliis concedens, ita tamen ut interim non cesset, sed perpetuo versetur in motu: splendore totum orbem superans. Haec Aristides, et Orpheus, quibus serpentes in nummis Apollinis, seu Solis facilè interpretaberis. Quae de Baccho fatidico jam a nobis dicta sunt suam lucem fenerabuntur nummis referentibus implicitum tripodi serpentem. Adde quod cum hominibus Deos saepiùs locutos fuisse sub serpentis imagine tota fabulosa testetur antiquitas. Ergo si apud veteres eruditos Bacchus fuerit suprema Divinitas una, si Libanio [*b*] Διόνυσος πολὺς πανταχοῦ ὁ θεός, quod uni Deo proprium est, veteribus illis persuasum quoque fuisse necesse est, quae fundebant serpentes oracula (*c*) ab uno Baccho fundi. Nec alium in sensum detorquendus mos ille imponendi tripoda uni, aut triplici aeneo serpenti (*d*).

Fruges et quidquid ad humanae vitae conservationem facit, acceptum Baccho referebatur. Seminum ille, plantarum, frugum et arborum parens ac dator (*e*). Hinc boves ad jugum jungendi, terrae semina committendi, adultas fruges metendi, in panem convertendi artes, quarum Bacchus Sabazius autor (*f*), totidem in numina habita sunt sub nominibus Cereris, Proserpinae, Isidis, Triptolemi. Hìc habes unde tam frequentes, tam varios in istarum Divinitatum numismatis serpentes ad Bacchum unum referas. Eadem quoque militat ratio pro spicis et papaveribus serpentes ut plurimùm comitantibus. Calathus etiam et flos lothus serpentum capitibus impositi, qui videntur, certissima sunt derivatae a Baccho annonae et ubertatis argumenta. Et hoc est nummis illustrandum.

ATT.

[*a*] Sympos. Lib. II. Quaest. III. [*b*] Declamat. X. [*c*] Lucian. in Astrol. [*d*] Herodot. Lib. IX. Pausan. in Phocic. [*e*] Aristid. Diod. Sic. (*f*) Diodor. Lib. IV.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙΑΝ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚ. Capite laureato, ſiniſtrors.)(L. IZ. Caniſtrum frugibus refertum in curru vecto binis ſerpentibus, quorum capita calatho insigniuntur. Ex aere magno apud D. Lebret.

Trajani ejusdem.)(L. IZ. Vas frugibus plenum cippo impoſitum inter duos angues criſtatos, alatos, et ſpiris implicitos. Est ex aere magno apud D. Gravier Maſsiliae. In Lebretiana gaza ſimilis est alter Hadriani cum epocha L. KA. ſeu anno XXI. ſuſcepti ab Hadriano imperii. Ad Sabaziorum typum Ciſtophoris impreſſum nummus uterque proximè accedit.

Alter ejusdem Principis nummus apud Vaillantium, ubi Bacchus dextrâ ſpicas, laevâ thyrſum gerit: in ambitu, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Quàm bene ſpicis cum thyrso conveniat in Bacchi manibus, docet Kircherus, Lib. IV. Obelisc. Pamph. Hier. XIX. Thyrſum in festis circumferri nihil aliud denotat, nisi plantationem vitis, et musicae inventionem, hoc est, liquorem et harmoniam rebus ſingulis inexiſtentem, qua ſuprema mens, Bacchus, mundum, et quae in mundo exiſtunt, locupletavit.

Sev. Alexandri.)(ΗΡΑΚΛΙΑϹ ΕΝ ΠΟΝΤΩ. Bacchus cum cornucopiae in dextra manu, et thyrso in laeva. Tralatitii ſunt Sardianorum nummi in quibus ſerpens, cum icone raptûs Proſerpinae.

Maximini.)(ΝΥϹΑΕΩΝ. Bacchus dextrâ racemum praeferens insidet cornucopiae. Ex aere ſecundo nummus hic, et ſuperior, apud Vaillantium uterque.

Obvio in Epidaurensium, Chiorum Coënsium, Nicomedensium &c. nummis ſerpente cum imagine Bacchi et Hygiae, designatur Bacchus ipse cujus beneficio ſalus amiſsa pristinum in statum aſseritur. Feliciùs designari non potuit Liber Hebon ſeneſcere neſcius, et ſalutis reſtitutor, quàm ſerpente aeternùm virente, et morbis impervio. Morborum medela, et praesens doloribus ſubsidium ab Orpheo invocatur Bacchus (a);

[a] Hymn. XLIV.

nihil enim tam firmiter morbo contractum est, quod nequeat dissolvere (*a*). Medici partes agentem Bacchum semel et iterùm repraesentat Nonnus (*b*). Bacchum, si Mnesitheo credamus (*c*), omnibus in locis vocant medicum; quibusdam in locis etiam Pythia eum edixit vocandum sanitatis praesidem. Mnesitheo consentit Plutarchus (*d*). Laurus et smilax Baccho dicata, quòd utraque dolores arceat, et plurimùm conferat valetudini (*e*). Hinc Bacchum toties σωτῆρος cognomine donatum reperias apud Plinium &c. et Coënsium, Thasiorum, Maronitarum &c. nummos. Eundem etiam nomine Salutis et Aesculapii adumbratum evincit Commodi Imp. nummus ex aere maximo: SALVS P. M. TR. P. X. COS. IIII. PP. Hygia sedens suspenso ę vitis palmite serpenti libamina offert; latere dextro, signum Bacchi thyrsum dextrâ gestantis cippo impositum. Baccho facta fuerant eo anno vota publica pro salute Principis: nam in alio quoque maximo numismate, Commodus sacra facit ad aram sub arbore, ante Bacchum adstantem, cum hac epigraphe: TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII.

Bacchum ensibus gaudere et sanguine notum est (*f*), Imperatorem praestantissimum, et praeliorum numen habitum (*g*). Plurimae illi adscribuntur victoriae de Gigantibus, Indis, Thebanis, Amazonibus, Actaeone, Lycurgo, Deriade, quarum unius testis Thureus superstes solus. Apud Vaillantium in Commodi nummo Smyrnae signato, Praetore Demostrato Heraclidae filio, Victoria, rectiùs dixerim, Bacchus Victoriae habitu laevâ thyrsum gestat, dextrâ fulmen. Nec alia de causa litui militares in veteribus nummis formam serpentis mentientes, et praefixi signorum apici serpentes, hastis-ve impliciti. Quamvis inscios voluisset nos Diodorus pristini moris supplicandi Baccho pro reportanda victoria, victoriae tamen signum et pignus certissimum serpens demonstrasset partarum

[*a*] Aristides loc. cit. [*b*] Lib. XXIX. et alibi. [*c*] Athen. Lib. II. [*d*] Sympos. Lib. III. Quaest. I. (*e*) Plin. Lib. XXIV. Bassus Geopog Lib. II. (*f*) Orpheus loc. cit. (*g*) Diodor. Lib. IV. Nonnus Lib. XIV. Phornut. Dinarchus Poëta apud Cyrill. Lib. X. contra Jul.

victoriarum beneficia ſaepiùs a veteribus in Bacchum refundi. In Aegyptiaco numismate Antonini Pii, in gaza Lebretiana, Bacchus dextrâ tropaeum gerit : terrestrium ſcilicet victoriarum insigne ; navalium verò in nummis ubi tridenti ſerpens innexus, aut ubi acrostolium, quale exprimitur in omnibus prope Cistophoris ſupra vannum mysticam. C. Claudii Pulchri pretiosus, imo quantivis pretii Cistophorus acrostolicum exhibet ſine vanno.



Acrostolium autem de navaſi victoria interpretantur plerique omnes. Eo Cistophoro ſignificeturne victoria quam ministrantibus naves Rhadamantibus de India retulit Bacchus (*a*), aut de Amazonibus in Insula Samo (*b*), an Claudii Pulchri, auspice tamen Baccho, victoria aliqua navalis, parvi interest. Nisi acrostolium interpretari quis malit de ſupremo Bacchi dominio in naturam humidam, adeoque in mare. Nam ὑδρογενὴς, ſeu ex undis natus dicitur Bacchus ab Orpheo. Denominationis originem, ſib ene memini, refert Pausanias dum de Brasiatibus. Ut ut ſit, autumabantur ad Bacchum preces navigantium deferri : Bacchum eorum facem, ducem et numen : Bacchum Oceani rectorem, et victoriarum terrâ marique partarum praesidem et collatorem. In nummo graeco Commodi ex aere tertio apud Vaill. NIKAIEΩN. Bacchus cum cantharo et thyrso ſedet ſupra navim.

Victoriam ſequitur pax, pacem felicitas, annona, concor-

[*a*] Nonnus Lib. XXXVI. [*b*] Plutarc. Quaest. Graec.

dia, uno verbo Α'ιὼν Διόνυσιος, et felicia tempora. Ut in nummis Alexandri Magni, Ti. Claudii, Agrippinae, Commodi, Antonini Soaemiadis F. (a) victoriae praeit ſerpens, aut victoriam ipsam defert, ita quaesitam victoriâ pacem adumbrat. Pacis enim amicus et autor Bacchus, adeo ut pacis nomen mereatur et gerat (b). Florente pace, aurea viget fertilitas, alma quies, dives annona &c. quae dona Bacchi declarantur geminis ſerpentibus baculo annexis in manibus Mercurii, Pacis, Securitatis, Annonae, Felicitatis. Hùc revocari etiamnùm poſsunt obvii paſsim in nummis ſerpentes inter ſpicas, papavera et caduceum. Ad rem facit hic in primis Goltzianus nummus.

Caput Bacchi ſenile, coronâ insigne.)(ΒΟΤΑΛΙΟΝΩΝ. Cornucopiae circumdatum ſerpente, ſpicis et uvâ plenum. Non moror comites Palladis ſerpentes Cloviae gentis, Neronis, Domitiani, Trajani, Sept. Severi &c. numismatibus inscriptos. Palladi Sapientiae praeit ſerpens αγαθοδαίμὸν Bacchus, quem Dea ſuasorem, et antesignanum ſequitur. Sapientis ſuasoris partes propriae ſunt Bacchi: ἔυβυλος ideo apud Orpheum, Aristophanem et Plutarchum audit ille, σοφώτατος apud Diphilum (c), et concilii Deorum praeses, imo Jovis nummo ipsius mens et consilium Διὸς νόος (d).

Primus religionis autor, et ſacrificiorum parens Bacchus, qui Pelio in monte Deorum caerimonias, ritusque ſacros homines edocuit (e). Talis exprimitur in aereo primi moduli gazae Fridericianae.

. . . . ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟC. Laureato capite ad humeros cum paludamento, ſinistrorsùm.)(ΕΠΙ CΤΡ. CΕΠΤ. ΑΡΙΑΝΟΥ ΚΟΙ. ΛΕCΒΙΩΝ. Bacchus nudus stat a ſinistris dextrorsùm, laevâ thyrsum tenet, dextrâ porrigit aram ignitam Lesbiaco Genio stolato ex adverso stanti; in ima parte fluvius in undis decumbit, dextrorsùm conversus, laevâ arundinem gestans.

[a] Tristan Tom. I. in addend. Oisel. Tab. LXX. n°. 8. Vaillant. numm. Graec. Impp. &c. [b] Phornutus. [c] Athen. Lib. II. (d) Macrob. Saturn. Lib. I. [e] Orpheus in hymn. Aeneas Gaza, epist. ad Dionys.

gestans. Alia sunt Antonini Pii ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, Sept. Severi ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, Antonini ejus filii ΚΩΤΙΑΕΩΝ, Sev. Alexandri ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ cum imagine Liberi Patris paterâ libantis. Institutam ab eo religionem arguit quoque lustrica, seu aspergillum, religionis ipsius symbolum, quale conspiciendum occurrit in edito superiùs C. Pulchri Cistophoro. Priscis illis temporibus sacra fiebant Libero Patre magistro in montium cacuminibus, aut medios inter agros umbrosis sub arboribus (*a*), Neronis est nummus maximi moduli apud Tristanum (*b*), Oiselium (*c*), Havercampum (*d*) et D. de Mazaugues, in quo serpens spiris erigitur ex adverso montanae arae. Recensitis Commodi nummis adjungendus alter, in quo Salus sub arbore, Baccho Aesculapio, sive Baccho salutis conservatori paterâ libat: inscribitur nummus ille IMP. VI. COS. II. PP.

Virginitatis custos et explorator serpens obvius in Rosciae gentis denario. Ibi emicat pascens in manu Lanuvinae, ut ferunt, puellae (*e*), certissimum, si eos audias, incorruptae castitatis illius argumentum, cùm oblatas ab unis duntaxat virginibus escas admittere serpens ille solitus fuerit (*f*). Expressum eo serpente videre mihi videor Bacchum, cui innata castitas, atque aversi ab obscoenis voluptatibus mores. Hinc factum cur castus ipse virgines tantùm et asseclas adsciscere sibi voluerit, Musas nempe, Maenades, et incorruptas Nymphas (*g*).

XVI.

De Cistophorûm usu, et pretio.

Quis Cistophorûm usus, quod pretium, hoc tum demum nobis, si fieri potest, expendendum. Fuerunt Cistophori in

[*a*] Tibullus Lib. II. Eleg. I. [*b*] Tom. I. p. 221. [*c*] Tab. LXXX. n°. 1°. [*d*] De numm. Coutorn. Tab. v. n°. 12. [*e*] Typus idem in Mettia gente, in nummis Coloniae Nemausi. &c. [*f*] Aelian. Lib. X. c. 6. Propert. Lib. VI. Eleg. VIII. Nonnus Lib. XV. (*g*) Strabo Lib. X. Orpheus hymn. 21. in Bacch.

Ee

usu nummario. *Ego*, ad Atticum scribit Tullius (*a*) *in Cistophoro in Asia habeo ad Sestercium bis et vicies: hujus pecuniae permutatione fidem nostram facilè tuebere.* Enumeranti Livio (*b*) praelatas in triumpho Cn. Manlii Vulsonis de Gallo-graecis pecunias recensentur tetradrachmûm Atticûm CXXVII. millia, Cistophorûm CCL. Philippeorum aureorum sedecim millia, CCCXX.

Conflatos ex argento Cistophoros evincit Livius idem, dum unius meminit pecuniae argenteae, quam de Rege Antiocho, et Aetolis triumphans M. Acilius tulerat. Alibi passim eodem modo de Cistophoris quàm de tetradrachmo Attico loquitur: argenteum autem est Atticum tetradrachma. Cistophorum inter et Denarium Romanum comparationem instituit Festus: uterque ergo argenteus. Tullius idem (*c*): *Scripsi ad Quaestores urbanos de Q. Fratris negocio: vide quid narrent, et quae spes sit denarii: an Cistophoro Pompeiano jaceamus.* Ex communi interpretum sententia, quaesitam bello Mithridatico Pompeïus in Cistophoro habebat magnam in Asia pecuniam, ex qua Q. Ciceroni Asiam regenti annuum numerare volebant Urbani Quaestores, tantumdem ipsi postea Pompeïo Romae denario (argenteo scilicet nummo) numeraturi. Exemplo Lentuli, Ap. Claudii, Tullii, Metelli Cistophoros fortassis suo nomine, dum in Asia degeret, inscripserat Pompeïus, unde Pompeïani Cistophori. Ne multa videar congerere in eo evincendo quod nemini negocium facessere fortè potest, uni excepto Cl. Eisenschmidio, Plinii judicio standum, qui (*d*) Populum Romanum victis gentibus in tributo argentum imperitasse, non aurum affirmat. Vectigalis itaque et tributaria pecunia si fuerit Cistophorus, eum quoque fuisse argenteum necesse est. Vectigalem ex eo Cistophorum conjicimus, quod alterius argenteae pecuniae Asiaticae, illis praesertim temporibus, rara sit commemoratio. Unde pronum est colligere vectigalia, quae pensitari solent celebratissimâ pecuniâ, ab Asiaticis, ubi

[*a*] Epist. I. Lib. II. [*b*] Lib. XXXIX. [*c*] Epist. ad Att. VI. Lib. II. [*d*] Lib. XXXIII.

vectigales facti sunt, Cistophoris fuisse pensitata: quod demonstrant etiam ea quae de M. Catone dicturi sumus.

Infeliciter hactenus a multis insudatum est in assignando pretio Cistophorûm, quos nunquam viderant, ideoque falsò supposuerunt minutos esse nummos. Pretium illud paulò majus esse quàm denarii dimidium, seu trium omnino obolorum cum semisse sanxerunt Malaspina [a], Turnebus (b), Budaeus (c), Glareanus (d). Eorum nititur sententia autoritate Festi dicentis: *Euboïcum talentum nummo graeco septem millium et quingentorum Cistophorûm est: nostro, quatuor millium denariorum.* Mendosum Festi locum subodoratus, non correctiori tamen animadversione commentatus est D. Dacier, cui talentum Euboïcum Attico talento minus est tribus minis, et triente, seu constat tantùm minis quinquaginta sex, et besse, quod recidit in sexcentos et sexaginta sex supra quinque denariorum millia. His assumptis, nedum probatis, indeterminatè concludit Cistophorûm majorem quàm septem millium, et quingentorum debere esse numerum, adeoque majorem etiam quàm quatuor milium Denariorum. Verum adeo talentum Euboïcum Attico talento minus non est, ut illo etiam longè majus sit. Herodoto (e) valet Babylonicum talentum septuaginta minas Euboïcas. Babylonicum idem talentum Eliani [f], duas supra septuaginta minas Atticas continet. Septuaginta itaque minae Euboïcae septuaginta duabus minis Atticis respondent. Atticum igitur talentum talento Euboïco minus est minâ unâ, unâque supra septuaginta drachmas et tribus septimis; ergo Euboïca mina aequipollet Atticae minae uni, drachmis duabus, et sex septimis, proindeque talento Attico majus est Euboïcum talentum.

Quempiam, cujus nobis nomen excidit e memoria, meminimus nos olim legere Festi locum ita restituentem: nostro, sex millium denariorum. Qua semel admissa Festi restitutione, Cistophori pretium est bes denarii, seu duarum tertiarum de-

[a] Notis in Epist. Cic. ad Attic. (b) Advers. Lib. III. cap. v. [c] De Asse Lib. II. [d] Notis in Lib. XXXIX. Livii. [e] Lib. III. [f] Var. Hist. Lib. I. cap. XXII.

narii, aut quod eòdem recidit, tanti denarius valet, quantùm Cistophorus cum quarta, id est, cum triente. Nec id habet fidem. (Loquimur et hìc nos ſemper ſecundùm falsam, pro germana tamen a plerisque hactenus adoptata, ſuppoſitionem minutum ſcilicet eſse nummum Cistophorum). Etenim talento Attico tunc omnia paria forent cum Euboïco. Talentum, ut e Suida et Prisciano constat, minarum est ſexaginta; mina vero drachmarum centum. Plinio autem et caeteris (a), Graecorum drachma et Romanorum denarius unius ſunt, ejusdemque pretii. Ergo ſi ſex denariorum millia inter et ſeptem millia et quingentos Cistophoros conveniat, Atticum inter et Euboïcum talentum convenire quoque neceſsè est, quod tamen eſse falsum modo demonstratum est.

Neque id ſatis. In ea versatur opinone Doctiſsimus Anglus autor eximii operis quod de Judaeorum historia ſcripsit D. Humfridius Pridavv, tot denariorum millia, quot Cistophorûm ſunt, in Festo restituenda. Persuasum habet ille memoratos Festo Cistophoros, Graecos, ſeu ut jam dictum est, Atticos eſse nummos. Sententiam hanc evellit communis adversantium ſcriptorum autoritas, quâ Cistophorum numquam Atticam fuiſse pecuniam constat. Omiſsis enim ſuperiùs recensitis, et planè decretoriis Tullii locis, instar omnium ſint haec ejusdem verba (b): *ſed quid, ſi eidem negocium dediſses, ut in Aſia Cistophorum flagitaret?* Quasi dixiſset Orator: ſi M. Catoni quem cum jure Praetorio Quaestorem miseras in insulam Cyprum ad vendendas Ptolemaei regis gazas, et pecunias inde deducendas, negocium etjam dediſses, ut in Asiam iret pendendum Populo Romano vectigal exacturus? Tributariae igitur provinciae tributa pendebant propriâ ſibi pecuniâ; vectigalis igitur Asia vectigal pensitabat nummo Asiatico; vectigalem igitur in Asia Cistophorum flagitaturus ſi fuiſset Cato, Asiaticum nummum fuiſse Cistophorum nemo negaverit.

Falsam

[a] Plin. Lib. XXI-CIX. Celsus ad Natalem, epist. praefixa operi Marcelli Empirici. (b) Orat. pro domo ſua.

Falsam de nummulo argenteo Cistophoro ſuppoſitionem admittenti, cohaerentia velit modò loqui, totus Festi locus ſusdeque vertendus erit, et ita fortaſsis legendus: Euboïcum talentum ſeptem millium et quingentorum Cistophorûm est: nostro, ſex millium centum et unius ſupra ſeptuaginta denariorum. Quod planum erit revocanti in memoriam drachmam Atticam congruere cum Romano denario, Euboïcumque talentum constare una ſupra ſexaginta minas Atticas, ſeptuaginta et unâ drachmis cum tribus ſeptimis. Cistophori pretium igitur tum foret denarii unius, et paulò minùs unâ ſextâ parte, ſive tanti denarius valeret, quantùm Cistophorus, et $\frac{1120}{6070}$. Quae ſi admittatur unquam emendatio, Festus in Festo ipso quaerendus erit.

Aliter planè hariolandum foret, ſi intelligendus ſit Festus de Euboïco talento illo cujus mentio apud Polybium (a), et Livium (b). Etenim Lucium Scipionem inter, et Antiochum Magnum initam memorant pacem, ea in primis conditione, ut Romanis a rege quindecim millia talentûm Euboïcorum penderentur. Quòd praedictos inter autores convenire non videatur, hoc parvi interest. Quamvis Polybio conſentiat Livius, dum de propositis pacis conditionibus, quindecim ſcilicet millia talenta fore Euboïca, attamen dum de acceptis iisdem conditionibus, talenta illa eſse Attica pronunciat. Sed Livio eò loci Polybium convertendi mendum obrepsit. Hoc ſiquidem unum a Polybio aſseritur, pendendam Romanis pecuniam ἀργύρου fore Ἀττικοῦ ἀρίστου, ex probatiſsimo Atheniensium argento. Quibus verbis ſpeciem tantùm argenti, non verò rationem, ut ita dicam, individualem monetae designantibus non ſatis attendit Livius, eaque latinè in Attica talenta transtulit. Ut graviſsimum erat Euboïcum talentum, ſic et puriſsima putiſsimaque Attica pecunia. Hinc pacem ut redimeret, magnam hanc jam per ſe pecuniam ſolvere coactus est Antiochus, ſed iniquiſsimis conditionibus, graviſsimis videlicet talentis, et argento optimo. Uniuscu-

[a] Legat. XXIV. [b] Lib. XXXVII. et XXXVIII.

jusque Euboïci hujusce talenti ratio congruebat cum octoginta Romanis libris. Sex autem supra nonaginta denariorum erat libra Romana : octoginta igitur librae , illae reddebant septem millia sexcentos octoginta denarios.

Sed vel admissâ , de qua priùs , falsâ suppositione , vix ac ne vix cuiquam persuasum erit eam Festi fuisse mentem , ut secundùm hanc talenti Euboïci rationem , Cistophorûm cum Denariis contentionem faceret. Quamvis enim Budaeo concederetur , reclamantibus meritò licet doctissimis passim omnibus , antiquorum duplex fuisse talentum , magnum et parvum , improbabile insuper probandum foret , de magno Euboïco talento Festum esse audiendum. Praeterquam quòd id genus talenti , si tamen aliquando extiterit , insolens prope fuit , et raro in usu positum , illud ne semel quidem in veterum , vel ipsius qui invitus obtruditur Plauti scriptis expressè appellatum reperias. Adde quod Cistophorus (qualem illi supponunt , minutum scilicet nummum) major tunc denario foret , cùm aequipolleret denario , et $\frac{1}{125}$. Contrarium evincunt vel ipsi Cistophori. Veterés licèt nimiâ non laborarent sedulitate libripendes in assignando debito pondere monetae feriundae , ut non ita pridem moris etiam erat in Hispania , Cistophorum tamen omnibus pensatis denario (dicendum foret quatuor denariis) semper leviorem animadvertimus. Nulli , et meminisse juvet , drachmae unius pondo , vel qui accedant ad drachmam Cistophori reperiuntur. Omnes et singuli sunt tetradrachma ; alios uspiam visos esse negamus. Bene multos aurificis staterâ examinatos probavimus alios esse pondo 229 , alios 233 , alios 235 , alios 238 , alios 241. granorum. Gentium autem , quas vocant Romanarum denarii eâdem diligentiâ appensi dabant alii grana 70 , alii 72 , alii 75 , alii 78. Si alterutrum ex hisce numeris quater multiplices , istorum granorum summa major erit quàm illorum , adeoque Cistophorus levior erit denario , et ut ad amussim verba componamus , quatuor denariis levior erit , qui semper tetradrachmum est , Cistophorus.

Tetradrachmum diximus Cistophorum experientiâ ducti ,

nunc ratione. In nummariis enumerationibus apud Livium agentem de argento ſignato triumphali M. Acilii, L. Aemilii, L. Scipionis &c. animadvertendum occurrit Cistophoros unos cum tetradrachmis Atticis recenseri, et utrosque modo eodem ac tenore. Quo ſanè ostenditur Cistophorum ad tetradrachmae pondo accedere, quandoquidem duplex id nummi argentei genus tantum memoretur, caeteris minoribus nummis ſilentio praetermiſsis. Praeterea Cistophorûm triumphalis ſumma, ſi talis Cistophorus, qualis Turnebo, Glareano, Budaeo, Dacierio, Pridavvio creditus est, levior est, quàm ut locum apud Livium mereatur. Neque opposueris Cistophorum qui duplo major tetradrachmo commendatur in Regia ſupellectili nummaria Seren. Principis Friderici Saxo-Gothani. Ita ſe habet Cistophorus ille.

M. ANTONIVS IMP. COS. DESIG. ITER. ET TERP. (*ſic.*) Caput M. Antonii hederâ redimitum in medio coronae hederaceae et corymbiferae.)(III-VIR R. P. C. Caput Cleopatrae ſupra basim quadratam, in qua depictus est capricornus; utrimque ſerpentes duo erigunt ſe ſe, et caudas ſibi invicem complicant. At vel ipse Cistophori editor Cl. D. Liebe (*a*) vocat illum in ſuspicionem, tum propter vocem TERP. pro TERT. positam, tum ratione ponderis insoliti, tum quòd capricornus tantùm Augusti tempore nummis imprimi coeperit, tum quòd haud una recentioris manus vestigia in eo deprehendantur. Potuiſset cippum quoque incusare pro cista ſuppositum.

Quid et quanti fuerit pretii Cistophorus ex Festo statuere tentabitur conatu non profuturo, ſaltem non approbando a Criticis, qui in emendandis autoribus unius tantùm, aut alterius voculae immutationem admittunt. Adeo perturbata ſunt omnia in eo Festi loco, ut ejus restitutio penitùs conclamata ſit. Ex attenta comparatione talentorum Euboïcorum et Atticorum cum Babylonico, Attici cum Romano, Cistophorûm cum Denariis Romanis videre visi ſumus Festi men-

(*a*) Thes. Frideric pag. 119.

tem dicentis, aut dicere volentis, Euboïcum talentum nummo Asiatico mille ſeptingentorum Cistophorum est: nostro, ſex millium ducentorum Denariorum. Quâ facilitate conjectura nostro excidit calamo, eâdem mera inter commenta patietur ablegari.

Extremâ huic de Cistophoris prolusioni manu impositâ, alios ad me nummos ab Ill. D. Alletio transmiſsos in aliud tempus interpretandos reservamus, in ſuscepto ſcilicet a nobis opere. In eo numismata quaecumque vetera, Graeca, Aegyptiaca, Latina, cujuslibet moduli ac metalli, Regum, Virorum illustrium, Populorum ac Urbium, Gentium ſeu Familiarum Romanarum et Imperatorum, Caesarum &c. accuratè et ſingulatim descripta, notis ad historiam, chronologiam, geographiam &c. ſpectantibus illustrata, ſub proprio poſseſsoris nomine appellata, reperire erit. Opus immensum ſanè, tentatum non ita pridem a Cl. Morellio, et in ſuo Rei Nummariae Specimine jam delibatum, ab eruditae antiquitatis cultoribus diu expectatum, exequendum tandem molimur nos, eruditione licèt Cl. Morellio impares, animo tamen et constantiâ non inferiores. Itaque rogatos etiam atque etiam volumus eos omnes qui antiquitatis studio tenentur, et nummariam ſupellectilem habent, omnium ſuorum veterum et indubitatae fidei nummorum indices perquàm accuratos ad me Maſsiliam aut Lugdunum transmittant, ita tamen ut quod in nummorum inscriptionibus temporum injuriâ, aliove casu detritum fuerit, non ſuppleatur, ſed interpositis asteriscis indicetur; quid in nummorum area, in ima parte, in lateribus observandum occurret, observetur; designentur etiam quo habitu, qua veste, qua parte conversae fuerint figurae, ita et modulus et metallum cujuslibet numismatis. Et quoniam omnes et ſingulos Regum, Virorum illustrium, Populorum ac Urbium, Gentium Romanarum nummi, et quotquot etiam ſunt Imperatorum maximi moduli, et in Coloniis, Municipiisque ſignati aeri incidi

cidi curaturi sumus, si quis hujuscemodi nummos nondum vulgatos, aut a vulgatis aliquatenus dissimiles penes se habeat, rogamus quoque ut delineatos illos, aut ichthycollâ expressos nobiscum communicare velit. Quidquid autem nobis communicandum censebitur, aliâ quàm Tabellarii publici viâ communicetur, cùm per vitae institutum pecuniarii sumptus nobis non liceant.

F I N I S.

APPROBATIO.

JUSSU Illustrissimi Sigillorum Franciae Custodis, legi Opus inscriptum, ALEXANDRI XAVERII PANELII Presbyteri, è Societate JESU, *DE CISTOPHORIS*, typisque quod detur dignissimum censui. Lutetiae Parisiorum, die 27. Junii 1733.

LANCELOT.

LUGDUNI,
Ex Typographiâ CLAUDII PERROT, in vico Confort, ad insigne Ensis Regii.

PERMISSION SIMPLE.

N°. 1824.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A Nos amés & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlemens, Maîtres des Requêtes ordinaires de nôtre-Hôtel, grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers, qu'il appartiendra; SALUT. Nôtre bien-amé NICOLAS DEVILLE, Libraire à Lyon, Nous ayant fait supplier de lui accorder nos Lettres de Permission pour l'impression d'un Manuscrit qui a pour Titre *Panelius de Cistophoris*; offrant pour cet effet de le faire imprimer en bon papier & beaux caractéres, suivant la feüille imprimée & attachée pour modéle, sous le contre-scel des Presentes. Nous lui avons permis & permettons par ces Presentes, de faire imprimer ledit Livre cy-dessus specifié, conjointement ou separément, & autant de fois que bon lui semblera, & de le vendre, faire vendre & debiter par tout nôtre Royaume, pendant le tems de *trois années* consecutives, à compter du jour de la date desdites Presentes. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun Lieu de nôtre obéïssance; à la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression de ce Livre sera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs; & que l'Impetrant se conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril 1725. & qu'avant que de l'exposer en vente, le Manuscrit ou imprimé qui aura servi de Copie à l'impression dudit Livre, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de nôtre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France, le Sr. CHAUVELIN; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans nôtre Bibliotéque publique; un dans celle de nôtre Château du Louvre, & un dans celle de nôtre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France, le Sieur CHAUVELIN, le tout à peine de nullité des Presentes; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant ou ses Ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons qu'à la Copie desdites Presentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Livre, foi soit ajoûtée comme à l'Original. Commandons au premier nôtre Huissier, ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel est nôtre plaisir. Donné à Compiegne le quatorziéme jour de Juillet, l'an de grace mil sept cens trente-trois, & de nôtre Regne le dix-huitiéme.

Par le ROY, *en son Conseil*,
POMMYER.

Registré sur le Registre VIII. de la Chambre Roïale des Libraires & Imprimeurs de Paris. N°. 560. folio 550. *conformément aux anciens Réglemens confirmés par celui du* 28. *Fevrier* 1723. A Paris *le* 16. *Juillet* 1733.

G. MARTIN, *Syndic.*

E R R A T A

Quæ in hoc Volumine ſunt emendanda.

PAG. 15. *lin.* 19. prima *lege* primas. *p.* 21. *lin.* 1. crexit *l.* erexit. *p.* 25. *in Notis*, *lin.* 2. Ariſtid. *l.* Euripid. v. 145. & 306. *p.* 28. *lin.* 3. Scripturarnm *l.* Scripturarum. *p.* 29. *lin.* 9. Mc-licerta *l.* Melicerta. *p.* 31. *in Notis*, *lin.* 10. Trezzes. *l.* Tzezzes. *p.* 32. *in Notis*, *lin.* 2. Ζαλρεὺς. *l.* Ζαγρεὺς. *p.* 33. *lin.* 31. alibi Jovis *lege & adde*, alibi Jovis quatenus Jovis ſacra. *p.* 36 *lin.* 9. Alexander *l.* Aleander. *p.* 38. *lin.* 5. Jonicarum *l.* Ionicarum. *ibid. lin.* 14. Jones *l.* Iones *ibid. lin.* 23. Prygia *l.* Phrygia. *p.* 40. *lin.* 35. *Joniae.* l. *Ioniae.* p. 32. *lin.* 6. *Joniae. l. Ioniae.* p. 46. *lin.* 26. [Λιονύσου] ις *l.* [Διονύσου] ις. *p.* 48. *lin.* 3 Jonicè *l.* Ionicè. *p.* 50. *lin.* 13. Milectus Joniae, *l.* Miletus Ioniae. *p.* 53. *lin.* 27 p loco *l.* loco. *p.* 61: *lin.* 17. Qui quod *l.* Quid quod. *p.* 63. *lin.* 2. ΚΡΙ; *l.* ΚΡΗ. *p.* 64. *lin.* 6. ἀντίθονας *l.* Ἀντίχθονας. *ibid. lin.* 10. antoritate *l.* autoritate. *ibid. lin.* 17. Ctetam *l.* Cretam. *ibid. lin.* 21. altera *l.* alterà. *p.* 65. *lin.* 10. ΣΑΡπιδὼν, *l.* ΣΑΡπηδὼν. *p* 70. *lin.* 31. famil. *l.* in Famil. *p.* 73. *lin.* 29 apud...... *l.* apud D. Lainé Lugduni. *p.* 74. *lin.* 19 Sabazius *l.* Sabazia. *p.* 84. *lin.* 22. Ἱερωφάντης, *l.* Ἱεροφάντης, *p.* 86. *lin.* 4. Kyrcani in Jonia, *l.* Hyrcani in Ionia, *p.* 88. *in Notis*, *lin.* 1. Jon *l.* Ion. *p.* 97. *lin.* 28. Nyeae *l.* Nyceae *p.* 102. *lin.* 4 utriuſque *l.* hujusce & ſequentis nummi ſimilitudinem. *p.* 108. *lin.* 21. Jovis nummo ipſius *l.* imo Jovis ipſius. *ibid. lin.* 26. Fridericianae. *lege & adde*, Fridericianae nummo. *p.* 109. *lin.* 1. Antonini Pii *adde* numiſmata. *p.* 111. *lin.* 30. memimus *l.* meminimus. *p.* 113. *lin.* 24. convertendi *l.* convertenti.

Caetera benevolus Lector facilè ſupplebit.



